



Specimen historicum inaugurale de Philopoemene ejusque in Achaeorum rempublicam meritis

<https://hdl.handle.net/1874/286641>

(V° 7 Hist nat 4° 638)

SPECIMEN HISTORICUM INAUGURALE

DE

PHILOPOEMENE

EIUSQUE IN ACHAEORUM REMPUBLICAM MERITIS

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI CHRISTIANI MILLIES,

THEOLOGIAE DOCT. ET IN FAC. LITERARIA PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

pro gradu doctoratus

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DIE XVIII M. OCTOBris MDCCCLXVI, HORA II

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

ANTONIUS GERARDUS CORNELIUS DODT,

Rheno-trajectinus.

—
—
—

Traiecti ad Rhenum,

TYPIS MANDAVIT I. VAN BOEKHOVEN.

MDCCCLXVI.



M A T R I

OPTIMAE CARISSIMAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

*Dissertationem hanc ad summos in Literis Humanioribus
honores consequendos editurus, de eius argumento et ratione
nihil habeo, quod in aditu moneam.*

*Illud unum lectorem rogo, ut libellum hunc ea benevo-
lentia et aequitate accipiat, quam iuvenilis scriptio sibi
flagitat. Plane enim sentio quam longe absit ab ea per-
fectione, quam a matuoriore aetate et eruditione exspectare
licet.*

Superest autem ut Vobis, Literarum Professores, quorum


in hac Academia scholis interfui, pro Vestris in me meritissimas gratias quam maximas agam.

Tibi imprimis, Clarissime ROVERS, ob utilissima consilia, quibus mihi in hac dissertatione conscribenda adfuisti, gratum animum testificor.

PRÆLATIO

CONSPPECTUS.

	Pag
Prooemium.	4
CAPUT I. Res Philopoemenis usque ad primam eius strategiam	11
CAPUT II. Philopoemenis adversus Machanidam et Nabin expeditiones	25
CAPUT III. Ceterae res a Philopoemene gestae usque ad bellum Messenium	54
CAPUT IV. Philopoemenis tristis vitae exitus	81
Iudicium de Philopoemene	94



PROOEMIUM.

Scripturo mihi de Philopoemene operae pretium
videtur paucis monere de foedere Achaico, cui illius
res arctissime iunctas esse constat.

Traditur regnum Achaicum, cuius initia inciderint
in sacculum XI, Tisameni posteris ad illud obtempe-
rasse tempus, quo regiam regiminis formam exceptit
forma democratica. Tum exstitit foedus XII civi-
tatum Achaicarum, quod saeculo IV est dissolutum.
Nam discordia contentionibusque intestinis, a regi-
bus Macedoniae concitatis ac fotis, factum est, ut aliis
eorum urbibus Demetrius et Cassander et postea
Antigonus Gonatas praesidia imponerent, aliae eiusdem
Antigoni opera a tyrannis occuparentur ¹⁾.

¹⁾ Polyb. II, 41. Strabo VIII, 7. Cf. Diod. Sic. XX, 102. 103.

Sed quum Antigonus Gonatas et Ptolemaeus Ceraunus de Macedoniae regno inter se certarent, quatuor urbes Achaicae, opportunitate usae, anno 281 foedus renovarunt, ut viribus iunctis adversus exterorū hostes se tuerentur ¹⁾.

Licet autem paulatim aliae urbes accesserint, exigua fuit foederis potestas, donec anno 251 Aratus Sicyonius tyranni dominationi ereptam patriam, annisque octo post, capta proditione Acrocorintho, quam Macedones tenebant, Corinthios in libertatem restitutos Achaeorum reipublicae adiunxit; aliae quoque exterae civitates, ipsae adeo Athenae, ab eo foederi sunt additae ²⁾.

Omnia eo referebat Aratus, ut, Macedonibus Peloponneso electis pulsisque tyrannis, libertatem omnibus Peloponnesiis restitueret.

Antigono Gonatae filius Demetrius II successit, quo etiam post decem tantum annorum regnum anno 230 mortuo, Aratus ad propositum suum perficiendum egregias nactus est opportunitates.

Tyranni enim Peloponnesi urbes opprimentes, Demetrii morte opibus, quas ille iis suppeditarat, destituti, Arato, nisi sponte tyrannidem deponerent magna mala minitanti, obtemperarunt, et suam quisque patriam

¹⁾ Polyb. l.l.

²⁾ Polyb. l.l. 43. Plut. Arat. 2—24. Pausan. II, 8. Cf. VII, 7, 1.

Achaeorum reipublicae adiunxerunt. Sic Megalopolitani, Argivi, alii in foederis communionem venerunt ¹⁾.

Erat autem illud sic constitutum, ut omnes urbes foederatae, suis unicuique servatis institutis, pari libertate fruerentur; aerario publico singulae prospicerent; bis quotannis singularum delegati Aegium ²⁾ convenirent ad deliberandum statuendumque de rebus publicis; ab his in illo conventu legerentur strategus (belli dux et caput administrationis) et decem, qui ei praesto essent, Demiurgi.

Hinc foedus Achaicum ad magnam potentiam pervenit, cuius tamen incrementis mox adversata est temporum conditio ³⁾.

Non solum enim irriti fuerunt Arati conatus Eleos etiam et Lacedaemonios ad foedus alliciendi, sed hi ipsi, Aetolis iuncti, Achaeis infestissimi evaserunt, quum Cleomenes eorum rex (236—221) omnium Peloponnesiorum foedere iunctorum principatum patriae suae parare cuperet.

Aratus autem ceterique Achaeorum proceres, metuentes, ne Lacedaemonii, si principatum obtinuissent, mutuam non tantum inter singulas urbes necessitudi

¹⁾ Polyb. I. 1. 43, 44. Pausan. I. 1. Cf. Plut. I. 1. 29, 30.

²⁾ Quid postea constitutum sit, infra apparebit.

³⁾ Pausan. IV, 29.

nem sed internam etiam administrationem mutarent, eorum conatibus resistendum esse statuerunt. Quamobrem Achaeorum concilium Lacedaemonios, quum Cleomenes anno 228 agrum Megalopolitanum invasisset, hostes habendos esse decrevit ¹⁾.

Aratus vero segnior ad proelium ineundum Cleomeni in bello minime par erat ²⁾. Quum igitur hic Achaeos ad angustias adduxisset, legatos ad eos misit postulatum, ut sibi imperium traderent, qua conditione probata, se statim iis captivos et, quae in bello admisset, oppida redditurum (224) ³⁾.

Aratus sive Cleomeni fidem non habens, sive, ut probabilius est, invidia motus Achaeos ab hac re deterruit, iisque persuasit, ut Antigoni Dosontis Macedoniae regis auxilium implorarent (223) ⁴⁾.

Postquam Cleomenes frustra prohibere conatus est, ne Antigonus Peloponnesum invaderet, omnes urbes quac defecerant, aliae sponte aliae vi coactae, ad foedus Achaicum redierunt ⁵⁾.

Per biennium vario marte bellum inter Macedones

¹⁾ Polyb. I. l. 45, 46.

²⁾ I. l. 51. Plut. Cleom. 14. Philop. 8. Arat. 35, 36, 37.

³⁾ Plut. Cleom. 15. Arat. 38, 41.

⁴⁾ Polyb. I. l. 47—50, Plut. Cleom. 16, Arat. 38.

⁵⁾ Polyb. I. l. 52 sqq. Plut. Cleom. 19 sqq. Arat. 43 sqq.

et Lacedaemonios gestum est, donec hi pugna ad Sellasiam (anno 221) prorsus devicti sunt ¹⁾.

Tum Antigonus cum Achaeis, Lacedaemoniis, Arcadibus, Boeotis, Phocensibus, Thessalis, Epirotis foedere iacto ²⁾, in Macedoniam reversus est ibique mox morbo absuntus ³⁾.

Regnante Antigono, Aetoli metu Macedonum quieti egerant, iam vero, spreto illius successore Philippo iuvene septemdecim annorum, Messenios Achaeosque latrociniis vexarunt ⁴⁾.

Quoniam vero post cladem Cleomeni illatam rerum bellicarum curam neglexerant Achaei ⁵⁾, Timoxenus strategus expeditionem contra Aetolos suscipere ausus non est, quod indigne ferebat Aratus, quinque ante tempus legitimum diebus suscepta strategia, copias adversus hostes eduxit, pugna vero ad Caphyas in Arcadia commissa magnam cladem subiit (220) ⁶⁾.

Rursus igitur Achaei, Aetolis Peloponnesum depopulantibus, Macedonum auxilium implorarunt, neque invitus rex Philippus Graecorum rebus se immiscuit.

¹⁾ Polyb. I.I. 68, 69. Plut. Cleom. 28. Arat. 46.

²⁾ Polyb. IV, 9.

³⁾ Polyb. II, 69, 70. Plut. Cleom. 30, 31. Arat. 46.

⁴⁾ Polyb. IV, 3, 4.

⁵⁾ I.I. 60.

⁶⁾ I.I. 7, 12. Plut. I.I. 47.

Et hic quidem Corinthum cum exercitu venit sociosque omnes, ut legatos de salute publica secum deliberaturos quam primum Corinthum mitterent, rogavit.

Communi concilio habito, bellum Aetolis esse inferendum omnium quidem consensu decretum est, quum vero, ut decretum hocce ex lege a singulis civitatibus confirmaretur, legati urbes ambirent, Achaei et Acaeanes soli ad sanciendum illud parati erant, ceteri omnes varias cunctandi causas quae siverunt¹⁾.

Spartiatae adeo, legatis sine responso dimissis, Eleique Aetolis se adiunxerunt²⁾.

Philippus tandem suis magis copiis quam sociorum auxilio fretus, anno 219 bellum, quod sociale vocant, gerere incepit³⁾.

Bellum illud ad annum 217 vario marte gestum est. Eo anno Philippus, nuntiata Romanorum ad lacum Trasimenum clade, sperans fore ut occidentem versus imperii sui fines proferre posset, Naupacti pacem fecit, ea conditione, ut, quae utraque pars bello cepisset, haec servaret⁴⁾.

Iam per aliquot annos pace fruiti sunt Achaei, dum

¹⁾ Polyb. I. l. 30 sqq.

²⁾ I. l. 34 sqq.

³⁾ Polyb. IV, 61 sqq.

⁴⁾ Polyb. V, 101—105.

Philippus, cum Hannibale de foedere faciendo agens, in Romanorum odium incurrit.

Tandem anno 211 inter Romanos et Macedones bellum exarsit. Achaei in foedere cum Philippo manserunt, Actoli contra, Lacedaemonii atque Elei a Romanorum parte steterunt. Quum autem ab altera parte Philippus, id agens ut Peloponnesum subigeret, ab altera Romani, orbis terrarum imperium affectantes, Achaeis imminerent, iam tunc hi libertatis iacturam fecissent, nisi iis praefuisset vir fortis ac strenuus, qui summa virium intentione fati exitum propulsans, non solum libertatem illibatam servaret, sed etiam efficeret, ut foedus Achaicum totam Peloponnesum complecteretur: Philopoemenem volo, cuius ad vitam enarrandam priusquam progediar, ipsos, quibus in hoc argumento usus sum, fontes afferre lubet.

Et horum quidem uberrimus est Plutarchus, qui e deperdito Polybii opere hausit, de quo hic in opere Historiarum ita loquitur: ¹⁾ Εἰ μὲν οὖν μὴ πατρίδιαν ἐπεποιήμεθα τὴν περὶ αὐτοῦ (Φιλοποίμενος) συντάξιν, ἐν ᾧ διεσαφοῦμεν, παι τίς ἦν, παι τίνων, παι τίσιν ἀγωγαῖς ἔχοντας τέος ὄντ, ἀναγκαῖον ἦν ὑπὲρ ἐκάστου τῶν προειρημένων φέρειν ἀπολογισμόν. Ἐπεὶ δὲ πρότερον ἐν τοισὶ βιβλίοις ἐπιτὸς τῆς συντάξεως τὸν ὑπέρ αὐτοῦ πε-

¹⁾ X, 24, 5 sqq.

ποιήμεθα λόγον, τὴν τε παιδικὴν ἀγωγὴν διασαφοῦντες, καὶ τὰς ἐπιφανεστάτας πράξεις δῆλον, ὡς ἐν τῇ νῦν ἔξηγήσει πρέπον ἀν εἰη, τῆς μὲν νεωτερικῆς ἀγωγῆς καὶ τῶν νεωτερικῶν ζῆλων πατὰ μέρος ἀφελεῖν, τοῖς δὲ πατὰ τὴν ἀκμὴν αὐτοῦ πεφαλαιωδῶς εἰεῖ δεδηλωμένοις ἔογοις προσθεῖναι καὶ πατὰ μέρος, ἵνα τὸ πρέπον ἐπατέρᾳ τῶν συντάξεων τηρῶμεν. Ωσπερ γάρ ἐκεῖνος ὁ τόπος, ὑπάρχων ἐγκωμιαστικός, ἀπήτει τὸν πεφαλαιωδὴν καὶ μετ' αὐξήσεως τῶν πράξεων ἀπολογισμὸν, οὗτος δὲ τῆς ἴστορίας, ποινὸς ὥν ἐπαίνουν καὶ ψόγον, ζητεῖ τὸν ἀληθῆ καὶ τὸν μετ' ἀποδείξεως καὶ τῶν ἐκάστοις παρεπομένων συλλογισμῶν.

Laudes igitur Philopoemenis Polybius in illo opere praedicavit, quod sine dubio primum est quod conscripsit, fortasse iam brevi post viri illius necem. Philopoemenis autem vitam Plutarchum potissimum ex illo Polybii scripto hausisse iam suspicatus est Heerenus¹⁾, cuius opinionem amplexus est Haugius²⁾.

Et profecto, si Plutarchi marationem cum iis, quae de Philopoemenis rebus gestis in fragmentis Polybianis exstant³⁾, conferimus, maiorem vitae illius par-

¹⁾ Comment. de fontt. et auctor. vitt. parall. Plutarchi, Gotting. 1820.

²⁾ die Quellen Plutarch's in den Lebensbeschreibungen der Griechen, neu untersucht, Tubing. 1854.

³⁾ Polyb. X, 25. XI, 8—18. XVI, 36 sq. XXI, 15—17. XXIII 1. 2. 7. 9. 10. XXIV, 5. 8. 9. 12. 13. XXV, 9.

tem e Polybii laudatione manasse appareret. Pluribus enim in locis communem originem produnt fragmenta Polybiana et Philopoemenis vita a Plutarcho conscripta.

Quum vero Polybius multa, quae in illo opere enucleate tractasset, quippe Historiis minus apta, resecarit, Plutarchus de iis, quae ad ipsum Philopoemenem spectant, nonnumquam copiosius egit. Praeterea hic, ut et alteram partem audiret, Aristocratem quoque consuluit Lacedaemonium, ex quo caput XVI et capitis XIII partem duxit.

Aristocrates Hipparchi filius, cuius aetas incidit in saeculum I vel II a. a. n., scripsit *Λαζωνικά* IV minimum libris¹⁾. Sed fide dignissimus fuisse non videtur, nam pauca, quae ex eius opere supersunt, certis veritatis neglectae signis sunt conspicua.

Si statuimus, Polybium Philopoemenis laudationem brevi post huius necem composuisse, extremam vitae partem Plutarchum ex Polybii Historiis hausisse necesse est²⁾.

Exstat altera Philopoemenis vita apud Pausaniam VIII, 49—51. Heerenus et post eum Haugius probare conati sunt, Pausaniam, pariter atque Plutarchum, vitam Philopoemenis ex Polybio hausisse. Videtur

¹⁾ Vid. Müller fr. hist. Gr. IV p. 332. Cf. Plut. Lyc. c. 4, 31.

²⁾ Plut. Phil. 21 f. coll. c. Polyb. XL, 7. 8.

vero Pausanias singula Plutarchi capita in compendium redegisse, qua in re diligenter ac prudenter versatus est, paucaque ex aliis, quos ignoramus, fontibus addidisse; ad accuratiorem tamen factorum cognitionem nihil ex eo proficimus.

Porro Livius (XXXV, 25—30, 37. XXXVIII, 30—34. XXXIX, 49, 50) minime sphenodus fons est, quem quippe Polybii Historiis usum esse satis appareat; res enim, de quibus ibi agit, ad Achaeos tantum pertinent, Romanique iis fere non interfuerunt. Narratio etiam summum Achaeorum studium prodit; Philopocmen imprimis eximiis laudibus ornatur: „terrestrial certaminum arte quemvis clarorum imperatorum vel usu vel ingenio aequabat”¹⁾.

Praeterea accurata locorum ac rerum bellicarum descriptio, ex quonam fonte hacc ducta sint, satis probat²⁾.

Praeter hos de Philopoemene consului Iustinum XXIX, 4. XXXI, 3. XXXII, 1. 4; Diodorum Siculum XXIX, 18; Suidam i. v. *Φιλοποίην*, ex quibus tamen parum profeci.

¹⁾ XXXV, 26.

²⁾ Cf. Nissen, *kritische Untersuchungen über die Quellen der vierten und fünften Dekade des Livius*, Berol. 1863, p. 171. sqq., 205 sq., 226 sq.

C A P U T I.

Res Philopoemenis ad primam eius strategiam.
(Ad ann. 208.)

Philopoemen¹⁾ anno a. a. n. 253 Megalopoli natus est. Pater eius fuit Craugis²⁾, qui a Plutarcho ἀνὴρ πάντων ἔνεα λαμπρὸς dicitur. Generis saltem splendore nulli Megalopolitanorum inferior fuit, nam maiores eius Arcadiae nobilissimi fuisse perhibentur³⁾. De his autem singillatim nihil memoriae proditum est.

¹⁾ Nomen Φιλοπαιίην, Arcadi potissimum conveniens, multis etiam aliis Graecis commune fuit. Vid. Böckh. C. I. Gr. I, Inscr. 699, 2. Plutarch. an seni ger. sit resp. 16. Pausan. VII, 16, 1. 8. Cf. Keil in *Ersch-Gruber Encyklopädie* i. v.

²⁾ Plut. Phil. (ed. Didot) c. 1. Pausan. VIII, 49, 1. 52, 2. Suidas i. v. Φιλοπαιίην. Cf. Anthol. graec. III, 5, 7.

³⁾ Plut. l.l. Polyb. X, 25, 1—4. Pausan. VIII, 49, 1.

Matris nomen ignotum est. Fratres habuisse non videtur, nusquam saltem memorantur. De eius posteris quoque veteres prorsus silent.

Itaque missis iis, quae tenebris obvoluta sunt neque ulla probabili coniectura in lucem proferri queunt, inquiramus potius in Philopoemenis institutionem.

Pater quum mature decessisset, filioli Cleander¹⁾ Mantinensis tutelam suscepit. Hic Mantineae genere primus et potentia inter cives eminens, adversa autem fortuna usus, patriam reliquerat veneratque Megalopolin, ubi Craugis, quo cum familiaritate iunctus erat, eum liberali hospitio exceperat. Cleander igitur in beneficiorum remunerationem filium eius impuberem educavit.

Postquam ad adolescentiam pervenit Philopoemen, Eudemus et Megalophanes²⁾ Megalopolitani eum philosophiae praceptoribus imbuerunt.

Ambo, vitata Aristodemi tyranni saevitia, Athenis Arcesilam Pitaneum philosophum Academicum audierant³⁾. Tum non solum patriam suam coniuratione in tyrannum inita liberaverant, sed etiam una cum Arato Nicoclem Sicyoniorum tyrannum expulerant;

¹⁾ Plut. l. l. Pausan. l. l. Suid. l. l. Cf. Polyb. X, 22, 1.

²⁾ Plut. l. l. Pausan. l. l. Suid. l. l.

³⁾ Arcesilas Pitane in Aeolide oriundus, Polemonis discipulus, mediae quam vocant Academiae conditor fuit. Cf. Strabo XIII, 1, 67. Diog. Laërt. IV, 6, 1, 28.

praeterea arcessentibus Cyrenaeis, quorum res publica turbis vexabatur, egregie eorum res administrarant, quum legibus conditis rem publicam optime ordinassent eique libertatem servassent. Hinc igitur non mirum est, ambos viros philosophia rebus publicis adhibenda excelluisse.

Cum his Philopoemen, ut primum adolevit, per longum temporis spatium versatus, brevi unus omnium aequalium patientia atque audacia et in venatione et in bello maxime conspicuus fuit.

Etenim ab ineunte aetate in rem militarem incubuit et exercitationibus ad bellum utilibus multam operam navavit, ut tam graviter armatus quam eques pugnare assuenseret. Quum vero etiam ad luctationem aptus esse videretur, et amicorum ac gymnasiarchorum nonnulli, ut illam coleret, eum incitarent, ex his quaesivit, nihilne militari exercitationi athletica noceret. Qui ubi responderant, corpus et vitam athletarum omnibus nominibus a militum corpore et vita differre, imprimis autem diverso victu diversaque exercitatione eos uti, non solum ipse athleticam fugit, sed etiam postea, quum strategia fungeretur, quoad potuit, abrogavit¹⁾.

Quod ad corporis habitum attinet, Pausania²⁾ testo,

¹⁾ Plut. l.l. 3. Pausan. l.l. 49, 2.

²⁾ l.l. Sequitur igitur traditionem a Plutarcho spretam.

Philopoemen magnitudine ac robore nulli Peloponnesiorum secundus fuit, sed facie turpi. Plutarchus¹⁾ contra, Facie, ait, non, ut quidam putant, turpi erat, medio tamen corpore gracilior, et addit: εἰνότα γάρ αὐτοῦ διαμένουσαν ἐν Λελφοῖς οὐκῶμεν, quod parum probat, nam statuae illi decorem supra verum additum fuisse veri simile est. Agilem illum et robustum fuisse idem affirmat.

Num Philopoemen iuvenis Arati expeditionibus interfuerit, nos latet, hoc tantum novimus, eum, quem praceptoribus uti desierat, in incursionibus, quas cives praedabundi in Laconicam facerent, fortitudine excelluisse. Manubias, quas sibi ex illis expeditionibus faceret, in equos et arma, tum ad redimendos captivos insumebat, rem autem familiarem agricultura augere conabatur, oportere arbitrans, illum propria bona possidere, qui alienis abstinere vellet.

Haud procul a Megalopoli ager fertilis ei erat, quo quotidie per otium post prandium vel post coenam se conferebat, ubique in toro herbaceo cubabat. Prima luce experrectus, venatione vel agricultura corpus firmabat²⁾. Deinde in urbem redibat, et cum amicis et magistratibus res publicas tractabat.

¹⁾ I.1. 2. 4.

²⁾ Cf. Pausan. I.1.

Legebat tantum talia scripta, quae vel rerum militarium historiam vel artis imperatoriae expositionem continerent, quorumque meditatione in virtute nonnihil profecturus esse sibi videbatur, cetera neglexit. Homericis carminibus et rerum ab Alexandro gestarum narrationibus imprimis delectabatur. Nonnullorum quoque philosophorum libros legit, aliorum disputationes auditavit, quorum praceptoribus mentem ad fortitudinem crigi putabat. Praeterea Evangeli¹⁾ de instruenda acie opus trivit, chartasque, in quibus ordines militares descripti erant, missas faciens, ipsis in locis periculum facere atque exercitationes instituere solebat, cum comitibus ea de re disputans. Hoc modo tantum in locis capiendis usum iam mature sibi comparavit, ut nulla ei nova in hac re esset cogitatio²⁾.

In bello autem, quod Cleomenicum dicitur, eo tempore, quo Achaei a Lacedaemoniis in angustias adducti Antigonum Dosontem Macedoniae regem in auxilium vocarunt, Philopoemen primum sibi gloriam comparavit.

Triginta iam annos natus erat, quum Cleomenes Lacedaemoniorum rex, noctu improviso aggressus Megalopolin, caesis defensoribus usque ad forum pene

¹⁾ Fuit hie servus Periclis magno ingenio praeditus scripsitque Ταξιδικά. Arrianus περὶ Ταξιδικῶν eum citat.

²⁾ Plut. I. I. Liv. XXXV, 28. Cf. Pausan. I. I.

travit idque occupavit (222). Philopoemen autem suppetias ferens, et si fortiter et audacter dimicans, fugandis hostibus par non fuit, tantisper autem impugnavit instantes Cleomenemque tardavit, dum iuventutis amplius duas partes, feminas praeterea et pueros ex urbe subduxerit. Salvi hi ad Messenios, qui eo tempore Arcadum amici et socii erant, confugerunt. Tunc demum ipse, amisso equo, non sine magna difficultate saucius evasit.

Quum vero Cleomenes Messenen profectis mitteret, qui nuntiarent, velle ipsum et urbem cum bonis et agrum iis reddere, animadvertisens Philopoemen cives suos id valde probare, et redditum festinanter parare, eos dehortatus est, declarans, non urbem reddere, sed contra etiam cives in potestatem suam redigere velle Cleomenem, quo urbem servaret; domos enim et muros eum vacuos nihil agentem custodire non posse, sed ea ob civium inopiam amissurum. Ita locutus cives quidem a reditu deterruit, Cleomeni vero occasionem praebuat, ut, maxima urbis parte diruta et eversa, magnis divitiis abundans rediret ¹⁾.

Postea Antigonus Achaeis auxilium forens una cum iis adversus Cleomenem expeditionem fecit. Ineunte

¹⁾ Plut. l. l. c. 5. Pausan. l. l. 49, 3. Cf. Droysen *Geschichte des Hellenismus*, II, 529.

aestate anni 221 rex, postquam Macedones et Achaei ex hibernis convenerant, exercitum suum sociis auctum in Laconicam duxit ¹⁾. Peditem viginti septem milibus sexcentis, equitibus mille ducentis eius exercitus constabat.

Cleomenes vero, incursionem providens, quovis aditu bene munito, ipse cum exercitu viginti fere millium hominum ad Sellasiam castra posuit.

Quum autem duo colles, quorum alter Eua, alter Olympus dicebatur, in ipso aditu essent, et via inter hos media iuxta Oenuntem fluvium Spartam duceret, Cleomenes utrumque collem fossa et vallo munivit. Tum Lacedaemonios et socios, quibus fratrem Euclidam praefecit, in Eua locavit, ipse vero cum Spartiatis et mercenariis Olympum occupavit, equitibus cum parte mercenariorum in planicie secundum fluvium in utraque viae ora constitutis.

Antigonus deinde copias admovit, castrisque fluvio Gorgylo munimento utens parva distantia positis, dies aliquot opportus est ²⁾. Tandem inter Antigonum et Cleomenem res proelio decernere convenit. Antigonus igitur Euam tenentibus Macedones aereis clipeis armatos opposuit, et Illyrios manipulatim alternis dispositos. Hos

¹⁾ Polyb. II, 65.

²⁾ I. l. 66.

subsequi Acarnanes et Cretenses iussit, ponē quos duo millia Achaeorum in subsidiis erant. Equites circa fluvium Oenuntem hostium equitatui opposuit, et pedites mille Achaeorum et Megalopolitanos totidem iuxta eos collocavit. Ipse autem mercenarios Macedonesque ducens cum Spartiatis duce Cleomene pugnam inire decrevit.

Signum inchoandi proelii Megalopolitani et equites quieti exspectarent. Primum Illyrii, ut iis imperatum, Euam collem invadere incepérunt¹⁾.

Tum mercenarii, qui inter Cleomenis equites locati erant, Illyriorum manipulos a tergo nudatos cornentes, postremos adorti, gravissimum iis periculum crearunt; quorum quippe fronti quoque Euclidas deorsum immineret. In tanto discrimine Philopoemen, qui cum suis civibus in equitatu erat, quid eventurum esset providens, primum praefectis id significare conabatur; quem vero nemo illum attenderet, quippe qui numquam ducis munus obiisset, cives suos incitans, audacter in hostium aciem inactus est. Quod ubi factum est, mercenarii, qui Euam adscendentium postremis instabant, equites manus conseruisse animadverentes, statim incepto destiterunt, et cursu ad locum, quem initio occuparant, redierunt, ut equitibus suis auxilium ferrent. Itaque

¹⁾ I. I. 67.

Illyrii et Macedones ceterique qui cum his erant, non amplius hostibus insequentibus districti, acriter et audacter in adversarios invaserunt. Unde etiam postea palam est factum, victoriae de Euclida reportatae auctorem exstitisse Philopoemenem ¹⁾.

Neque hoc Antigonum fugit. Fertur enim postea ex Alexandro equitum praefecto tentans quaesivisse ²⁾: „Cur ante datum signum pugnandi initium fecisset”; hoc vero, ut culpam a se demoveret, respondente: „Adolescentem aliquem Megalopolitanum, se adversante, signo nondum dato, in hostes irruisse”, dixisse: „Adolescentem illum, egregio duce dignum edidisse facinus, quippe qui ad tempus opportunum attendisset; eum vero, qui dux esset, adolescentem imperitum se praestitisse”.

Dum Illyrii Euam collem occupant, equitum quoque continuabatur certamen, omnibus Achaeorum equitibus egregie rem gerentibus, quia de ipsorum libertate totum proelium erat initum. Imprimis autem Philopoe-men fortitudine excelluit ³⁾, cui ea occasione accidit, ut equus, mortifero vulnere ictus, caderet, ipsi deinde, pedibus proelianti, hasta amentata ambo femina

¹⁾ Cf. Droysen, I. I. II, 548.

²⁾ Polyb. I. I. 68. Plut. I. I. 6.

³⁾ Polyb. I. I. 69.

configerentur. Primum igitur quasi compedibus vincitus impeditabatur¹⁾. Amenti enim annulus hastae, si extraheretur, difficilem per vulnera transitum reddebat, quare eius comites rem aggredi haesitabant. Ille vero, pugnandi desiderio trepidans, crurum porrectione et inflexione fracta media hasta, utrumque fragmentum separatim extrahi iussit. Ergo expeditus, stricto gladio per propugnatores hostes invasit, ita ut magnam alacritatem inter pugnantes excitaret.

Philopoemenis ingentem virtutem admiratus Antigonus eumque in exercitu habere cupiens, omni studio, ut se in Macedoniam sequeretur, imperium simul et pecuniam offerendo operam dedit²⁾. Ille vero non accepit, praecipue quum intelligeret, se, natura difficiliorem quam ut cuiquam obediret, superiorem ferre non posse.

In socordia tamen ac desidia otium terere nolens, ut rem militarem exerceret et coleret, in Cretam navigavit, mercenariorumque dux bello civili, quod in illa

¹⁾ Plut. l. l. Aliter Pausan. l. l. 49, 4: ἐπεὶ δὲ οἱ Δακεδαιμόνιοι καὶ ὁ Κλεομένης ἐκράτησαν, καὶ ἐς τὸ στρατόπεδον ἀνέστρεψε Φιλοποίην, ἐντυχθα ἐξ ἀμφοτέρων αὐτοῦ μηρῶν οἱ ιατροὶ τῇ μὲν τὸν σαύρωτήρα ἔξειλκον, τῇ δὲ τὴν αἰχμήν, quod minus probable est. Polyb. l. l. 69, 2 rem simplicius narrat: ΚαΣ ὃν καιρὸν τῷ προειρημένῳ [Φιλοποίου] συνέβη, τὸν μὲν ἕπου πεσεῖν, πληγέντα καιρίως αὐτὸν δὲ πεζομαχοῦντα περιπετεῖν τραχύματι βίᾳ, δι' ἀμφοῖν τοῦ μηροῦ.

²⁾ Plut. l. l. 7. Pausan. l. l.

insula gerebatur, interfuit. Gnosii enim Gortyniique, civitates potentissimae, viribus coniunctis maximam Cretae partem subegerant. Lyttus tantum, Lacedaemoniorum colonia, nonnullaque alia oppida minora iis resistebant. Gnosii, Aetolorum socii, anno fere 219, dum Lyttii in expeditione occupati erant, horum urbem deleverunt. Tum Lyttii Gortyniorumque exsules Macedoniae Achaeorumque foederi se adiunixerunt¹⁾. De rebus autem Philopoemenis in Creta gestis nihil ad nostram notitiam pervenit, universe tantum novimus, eum ibi inter viros pugnaces callidosque et belli gerendi peritissimos se exercuisse, qui temperantia quoque et victus frugalitate excellerent. Per plures annos abfuit²⁾, atque ita inclutus ad Achacos revertit, ut statim hipparchus designaretur (210).

Tristis eo tempore Achaeorum reipublicae erat status, quum mortuo Arato, quem rex Philippus veleno interemerat, neglectaque rerum bellicarum cura, Achaei magis magisque ex Philippi arbitrio pendere coepissent.

Philopoemen, equitum turmas quovis modo corruptas et singulorum animos prostratos esse videns, quam primum ista vitia purgare statuit. Equites enim,

¹⁾ Cf. Polyb. IV, 53—55.

²⁾ Post Arati demum, ut videtur, mortem (213) in Peloponnesum reversus est. Cf. Hertzberg, *Gesch. Griech. unter der Herrsch. der Römer*, Hal. 1866, Tom. I, 40.

quando expeditio instaret, equis vilibus atque infirmis utebantur, et ipsi plerumque militiam detrectantes vicarios dabant, incredibilis autem omnium erat tum imperitia tum ignavia, quae omnia adhuc hipparchi semper omiserant. Plerique enim alii, hoc munere fungentes, aut propter ipsorum rei equestris imperitiam nihil eorum, quibus opus esset, imperare audiebant, aut, strategiam appetentes, illo munere equites, qui plurimum auctoritate valebant, benevolos in posterum adiutores sibi conciliare studebant, non reprehendentes eos qui digni essent, sed culpam occultantes¹⁾.

His animadversis Philopoemen nequaquam cessit aut incepto destitit, sed equites non solum meliores quam antea fuerant, verum etiam hostibus superiores brevi tempore reddidit, omnibus ad veram exercitationem atque utilem accumulationem perductis²⁾. Motus autem, quibus quippe omni tempore utilibus, equites assuefieri oportere censebat, erant varii, quae exercitia postquam et multitudini et civitatum magistratibus exemplis monstravit, rursus perlustravit oppida, explorans num multitudo imperatis obtemperaret, et civitatum magistratus perspicue recteque imperare scirent³⁾.

¹⁾ Polyb. X, 25, 8 sqq. Plut. I. I. 7.

²⁾ Polyb. I.I. 25, 6. 7.

³⁾ I.I. 21.

Viritim etiam iuvenes omnes ad honoris studium impellens, in eosque qui vi coercendi erant animadvertis, equitibus ex oppidis in unum locum coactis, exercitationibus, transvectionibus et, quibus quam plurimi spectatores interessent, certaminibus utens, brevi tempore mirum robur atque alacritatem in omnibus excitavit.

Omnibus hisce exercitationibus ipse praerat, et totius equitatus recognitionem habebat. Neque cunctos antecedebat, sed equo praetervehens singulos ipse lustrabat, omnia, in quibus dubii erant, iis explicans; et quodcumque vitium a principio corrigens. Haec vero propter diligentiam singulis antea adhibitam valde levia et rara erant¹⁾. Quod autem in re equestri maximi momenti erat, ita velocietate et celerest eos effecit, ut uni corpori, quod sponte et libere moveretur, similis esset totius agminis in signis convertendis agilitas.

Quo igitur tempore Philippo Macedonum regi, adversus Romanos Aetolosque bellum gerenti, opitulabantur Achaei, duce Cycliade stratego, Philopoemenis imprimitus eiusque equitum opera factum est, ut Aetoli et Elei in pugna ad Larissum amnem in finibus Elidis

¹⁾ I. l. 22.

devincerentur¹⁾. Quum enim comminus vehementem pugnam conseruissent, Eleorum hipparchus Damophantus acri impetu in Philopoemenem ante signa invectus est. Hic vero vim eius sustinuit, praevertensque hasta Damophantum percussit et prostravit, quo interfecto statim hostium equestres copiae in fugam sunt conversae.

Victoria illa Philopoemen Achaeorum animos erexit, ut maiorem iam sui fiduciam haberent; ipse ex ea summas laudes consecutus est, ὡς οὐτε πατὰ χεῖρα τῶν νέων τινὸς οὐτε συνέσει τῶν πρεσβυτέρων ἀπολειπόμενος, ὅλλα καὶ μάχεσθαι καὶ στρατηγιῶν ἴκανώτατος²⁾.

¹⁾ Plut. l. l. 7. Pausan. l. l. Liv. XXVII, 32 pugnae ad Larissum non meminit, nec mirum, quum res Graecorum, quae ad Romanos non spectent, obiter narrat. Cf. Polyb. l. l. 25, 6 Suid. l. l.

²⁾ Plut. l. l. f.

C A P U T II.

Philopoemenis adversus Machanidam et Nabim expeditiones. (208—192)

Mirandum non est, Achaeos Philopoemenem, cuius peritiam rei militaris cognoverant, summo mox ornasse magistratu. Eum quadraginta quinque annos natum anno 208 primum strategum legerunt.

Achaeorum strategi, qui ante Philopoemenem hoc munere erant functi, rerum bellicarum peritia conspici non fuerant. Porro in plerorumque Achaeorum mentes aemulatio quaedam e reliquorum ostentatione et luxuria irrepserat, ita ut comitatui et vestitui diligenter operam navarent, et plerique tali ornatu delectarentur, qui pecuniarum redditus superaret; armorum vero ne minimam quidem rationem habebant^{1).}

¹⁾ Polyb. XI, 8, 1—6.

In bello adhuc usi imprimis erant mercenariis, quibus autem eo minus fidere poterant, quod saepe pecunia ad mercedem iis persolvendam deesset¹⁾. Quum omnes dimitti tempora non sinerent, Philopoemen horum numerum minuit.

Primum quae in militum instructione et armatura male se apud Achaeos habebant, novavit. Scutis enim ob tenuitatem levibus utebantur et ad tegenda corpora angustioribus²⁾, hastis autem multo brevioribus quam sarisis. Eminus igitur feroce pugnacesque erant ob levitatem, cum hostibus vero congressi, inferiores discedebant. Modus et forma aciei in orbem non erat in usu, sed phalange utentes, in qua neque sarisae practentae neque densa scuta, ut in Macedonia, erant, facile gradu demovebantur et dissipabantur. Haec Philopoemen monens, persuasit iis, ut pro scuto et hasta, clipeum et sarisam sumerent, galeisque, loricis et ocreis tecti, stabilem de gradu pugnam pro cetratorum cursoria consererent.

Dcinde luxuriam eorum optime correxit, extirpari enim ea ex animis non poterat, quos tam diu infestarunt. Ille autem, magnificentiam a rebus non neces-

¹⁾ Cf. Polyb. IV, 60, 2. V, 30, 5.

²⁾ Plut. l.l. 9. Pausan. VIII, 50, 1 addit: κατὰ τοὺς Κελτικοὺς Θύρεούς, ἢ τὰ γέρρα τὰ Περσῶν; clipeos autem a Philopoemene inductos ἀσπίδας Ἀργολικάς vocat.

sariis ad res utiles et pulchras convertere aggressus, mox exhortando omnibus persuasit, ut, quotidianis in cultum victumque sumptibus circumcisum, militaris ac bellici ornatus decore insignes prodirent¹⁾.

Nam populi concione Aegium convocata, orationem habuit, cuius pars nobis servata est²⁾. „Armorum fulgorem sicbat multum ad hostium perturbationem conferre, firmitatem autem operis praestantia partam egregie usui inservire. Optime igitur res se habituras, si, qua diligentia nunc vestitum curarent, hanc in armis adhiberent; quae vero adhuc apud eos esset armaturae negligentia, hanc ad vestes transferrent. Sic enim simul eos et privato suo commodo servituros, et servandae reipublicae evidenter suffecturos. Oportere igitur eum, qui ad lustrationem vel ad expeditionem proficisceretur, quando orcas accommodaret, videre, ut hae soleis et crepidis habiliores ac nitidiores essent; quando autem clipeum et loricam et galeam caperet, eum curare debere, ut chlamyde et tunica lautiora et pretiosiora haec essent. Quibus enim speciosa opatibilia videantur utilibus, apud hos ex eo ipso statim manifestissimum esse, qualcm exitum proelia habitura sint.

¹⁾ Plut. I.I. 9.

²⁾ Polyb. XI, 9, 1—7.

Universe autem eos reputare volebat, vestimentorum ostentationem mulieris, eiusque non nimis verecundae, esse, armorum vero splendorem ac magnificentiam viorum fortium, qui se ipsos et patriam gloriose servare decrevissent.”

Consilium Philopoemenis rem militarem hac ratione emendandi a concione comprobatum est¹⁾.

Tum Philopoemen confestim urbes obiit, acriter et studiose omnia perlustrans²⁾. Mox pubem convocatam exercuit et labore firmavit, quae in variis motibus edendis imperio eius libenter et ambitiose parebat. Etenim acies mirifice probabatur, quum ob densitatem perrumpi non posse videretur; ita ut proelii quam primum committendi ardore flagrarent³⁾.

Postquam octo fere menses in eo apparatu et exer- citatione consumpserat Philopoemen, Achaei egregiam opportunitatem nacti sunt suam rei militaris peritiam probandi. De libertate enim omnium Peloponnesiorum dimicandum fuit, cui Machanidas Spartae tyrannus magnis copiis fretus imminebat⁴⁾.

Hic quominus agros Argolicos Arcadicosque frequen- ter depopularetur, Achaei impedire non potuerant, sed

¹⁾ l.l. 9, 8; 10, 7.

²⁾ l.l. 10, 8. 9.

³⁾ Plut. l.l. 9.

⁴⁾ l.l. 10.

intra urbium muros se recipere coacti erant. Nuper adeo Tegeam ceperat. Quum autem denuo agrum Mantinensem invadere pararet, eodem Philopoemen exercitum sociorum collegit ¹⁾.

Tyrannus tamquam ex voto Achaeorum expeditionem sibi contingere existimans, quod iam sperabat fore ut cum hoste cuius vires contemneret una acie debellaret, simul atque eos ad Mantineam coactos esse certior est factus, Tegeae Lacedaemonios convenienter tempori cohortatus, postridie statim prima luce Mantineam processit.

In dextro cornu phalangem ducebat; mercenarios ab utraque parte primi agminis paribus intervallis inter se distantes agens, pone hos autem plastra, ingenti numero machinarum bellicarum et missilium catapultariorum onerata. Eodem quoque tempore Philopoe-men copias tripartito divisas Mantinea eduxit.

Ac primum quidem levis armaturae ope collem editorem ante urbem occupavit; prope eos loricatos hosque contingentes Illyrios constituit. Tum aequa cum his fronte phalangem in cohortes et manipulos divisam paribus intervallis secundum fossam, quae ibi in campo erat, disposita. Iuxta hos equites Achaeorum, quibus Aristaenetus Dymaeus praeerat, in dextro cornu collo-

¹⁾ Polyb. 1.1. 11.

cavit; in sinistro vero ipse Philopoemen omnes mercenarios ducebat. Ut primum autem hostium copiae appropinquantes probe iam conspici potuerunt, Philopoemen, phalangis cohortibus obequitans, brevem, qua praesens periculum exponeret, cohortationem militum fecit¹⁾. Illud praecipue urgebat, hostes pro turpi et ignominiosa servitute, ipsos vero pro libertate gloria ac perpetuis laudibus celebranda, vitam in discrimen dare. Tantaque alacritas propter omnium erga illum benevolentiam et fidem eos tenuit, ut suum milites strategum invicem cohortarentur, fidenter adversus hostes ducere iubentes.

Machanidas primo simulabat, se agmine oblongo dextrum hostium cornu aggressurum; postquam vero propius accessit, dextrorum flexit copias, et explicando aciem dextrum cornu Achaeorum sinistro aequavit. Catapultas autem, quibus hostium phalangem infestaret et turbaret, ante totum exercitum spatiis interiectis constituit. Philopoemen vero propositi peragendi tempus Machanidae non reliquit, sed statim per equites Tarentinos proelium inchoavit, quo facto tyrannus suos Tarentinos iis opponere est coactus.

Paulatim omnes Machanidae Achaeorumque merce-

¹⁾ I. l. 12.

narii manus conseruerunt¹⁾, quorum quum diu dubium proelium fuisset, tandem qui pro Machanida pugnabant superiores evaserunt. Neque Illyrii loricatique, qui Achaeorum stipendiariis subsidio erant, tyranni mercenariorum impetum sustinere potuerunt, sed praecepites Mantineam versus fugae se dederunt, ita ut Achaeorum acies cornu sinistro destitueretur²⁾.

Quod ubi vidi Machanidas, inconsulte ac temere una cum mercenariis suis in fugientes irruit; Philopoe men autem primo stipendiarios suos sistere conatus est, duces eorum nomine compellans, et ad pugnam incitans. Postquam vero illos gradu motos esse animadvertisit, minime abiecta rerum cura perterritus fugam capessivit, sed, statim cum primis phalangis cohortibus relictum a suis locum raptim occupans, et, qui mercenarios persequebantur, hostes ab ipsorum exercitu seiunxit, et extra hostium cornu aciem suam extendit³⁾.

Tum Lacedaemonii, stipendiariorum suorum victoria elati, iniussu imperatoris, sarisis projectis in hostem invaserunt. Ubi autem ad fossae siccae labrum venerunt, quum iam non amplius gradum referre possent, imprudentes cum impetu in eam descenderunt.

¹⁾ I.I. 13.

²⁾ I.I. 14.

³⁾ I.I. 15.

Iam vero Philopoemen, idoneum ad opprimendos hostes tempus adesse ratus, totam illico phalangem sarisis praetentis progredi iussit ¹⁾. Achaei igitur quum sublato ingenti clamore confertim hostibus se intulissent, Lacedaemonii, qui iam in descensu fossae ordines solverant, irruentibus e superiore loco hostibus, statim terga dederunt; sed maxima eorum pars, alii ab Achaeis, alii a suis oppressi, in ipsa fossa perierunt.

Philopoemen phalange sua vincente victoriam exploratam esse videns, iam ne ipse Machanidas totius belli auctor evaderet summo studio prohibere statuit; id enim plurimi faciebat ²⁾.

Quem quoniam norat insequendi studio abreptum in loco inter fossam et urbem interclusum esse, illius redditum curiose opperiebatur.

Machanidas, quum persequendi finem fecisset, copias suas fugientes cernens, collectis qui cum eo erant mercenariis, per hostes dispersos, qui suis instabant, elabi est conatus. Ubi vero propius accedentes Achaeos, qui pontem in fossa factum custodiebant, conspexerunt, perterriti omnes, Machanidam deserentes, sibi quisque salutem quaesiverunt. Ipse tyrannus, clauso per pontem transitu, transmittere enixe intendens,

¹⁾ l.l. 16.

²⁾ l.l. 17.

secundum fossam practerequitabat. Philopoemen autem, agnito ex paludamento purpureo et equi ornatu Machanida, Anaxidamum, transitum per pontem diligenter custodire iussum, reliquit, atque ipse, assumtis Polyae-no Cyparissensi et Simia, qui eum comitari solebant, in altera fossae ora equo vectus tyranno, cui item duo comites aderant, se obiecit. Simul ac Machanidas, ad locum quendam fossae transitu facilem, equum ad traiciendum vi impulit, in illum illatus Philopoemen, hasta ei mortiferum vulnus inflixit, et cuspide ictum alterum inferens, tyrannum occidit.

Finito bello Achaei, tam facinus illud quam totam illam expeditionem magnopere admirati, aeneam, qua tyrannum interimens exprimebatur, statuam Delphis Philopoemeni posuerunt¹⁾.

Alterum Machanidae comitem Philopoemenis comites occiderunt, alter effugit. Statim Simias, tyranni capite absciso, ad Achaeos, qui fugientibus instabant, prope-ravit, nuntiataque hostium ducis nece, eorum alacri-tatem tantopere auxit, ut Tegeam usque persequerentur hostes, ac primo impetu hoc oppido potirentur²⁾.

Achaei, quorum in eo proelio non multi caesi sunt, Lacedaemoniorum quatuor minimum millia occiderunt

¹⁾ Plut. l.l. 10.

²⁾ Polyb. l.l. 18.

pluresque ceperunt, impedimentis quoque omnibus et armis potiti¹⁾.

Postridie eius diei, loca Laconicae aperta iam haud dubie in sua potestate habentes, iuxta fluvium Eurotam castra posuerunt. Itaque Philopocmen effecit, ut Achaei, qui iamdudum hostes agris suis arcere non potuerant, totam iam ipsi Laconicam audacter devastarent.

Anno 206²⁾), quum iterum strategus esset, primum Graecis Nemea celebrantibus phalangem egregie ordinatam ostendit, quae, ut solebat, magna vi ac celeritate ad numerum movebatur; deinde contendentibus citharoedis in theatrum prodiit, comitantibus iuvenibus sagis et subuculis purpureis ornatis, qui omnes, et corporis robore conspicui et annis suppares, reverentiam adversus ducem suum magnam, altumque et excelsum ob res prospere gestas animum praestabant. Quibus vix ingressis, quum forte fortuna Pylades Megalopolitanus, citharoedus omnium sui temporis nobilissimus, qui in Pythiis victoriam reportarat, Persas Timothei³⁾ Milesii canere incepisset:

¹⁾ Plut. l. l. 10. Pausan. VIII, 50, 2 ubi addit: Λακεδαιμονίους δέ ἡτοχησάτι τῇ μάχῃ περιεγεγόνει μετίζων ἢ κατὰ τὸ πταισμα εὐτυχία, γεγονόστιν ἐλευθέροις ἀπὸ τοῦ τυράννου. Nimio constituit illa libertas, quam tueri non potuerunt.

²⁾ Cf. Keil in *Ersch-Gruber, Allgem. Encycl.* i. v. *Philopömen* n. 18.

³⁾ Cf. Pausan. III, 12 sub fin. Vid. Fabric. Bibl. gr. II, 325, ubi loci de eius Persis citantur.

Κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχον μέγαν Ἐλλάδι πόσμον·
 totum theatrum in Philopoemenem intuitum est,
 plausuque cum acclamatione significavit, hunc versum
 in ipsum maxime convenire¹⁾.

Post Machanidae necem Peloponnesii iam per aliquot annos optata quiete fruiti sunt. Sparta tamen neque ad Achaeorum foedus accessit, neque diu libertate gavisa est. Nam ut reipublicae, cuius robur, eversis quibus fulciebatur institutis, fractum est, evenire solet, mox novus tyrannus exortus est Nabis, isque Machanida scelestior. Foedere cum Aetolis eorumque sociis icto, primo tamen bello abstinuit, quum Spartae adhuc satis negotiorum esset recentiorque Machanidae cladis memoria. Practerea Aetoli mox, exeunte aestate anni 205, bellum cum Macedonibus eorumque sociis composuerunt.

Eodem anno pax inter Philippum Macedoniae regem et Romanos facta est, cuius in communionem utrorumque socii Achaei, Nabis, Elei, Messenii, alii venerunt.

Interea Nabis in illustrissimos ac locupletissimos civium Spartanorum saeviebat, alias interficiens, alias in exsilium pellens, eorumque uxores et filias mercena-

¹⁾ Plut. l.l. 11, Pausan. VIII, 50, 3, qui (e Plut. Them. c. 17) similem honorem Themistocli Olympiae post victoriam Salaminiam habitum memorat.

riis et, quos magno numero manumiserat, servis, proscriptorum bonis dotis nomine datis, in matrimonium collocavit.

Mercenariorum eius partem maiorem fures, latrones et sicarii efficiebant. Expilatores, quibus tyrannus Spartam tamquam asylum aperuit, quo a latrociniis redeuntes se reciperent, rapinae partem ei cedere debebant.

Anno 203, qui tyranni dominationis tertius fuit, speciosum hic praetextum pacem denuo cum Achaeis dirimendi nactus est. Boeotos nonnullos, unum e tyranni equis furatos, quocum Megalopolin configerant, huius urbis cives exposcenti Nabidi tradere noluerunt, qui, redditio equo, ea tamen occasione usus est ad Megalopolitanorum agrum depopulandum armentaque abigenda¹⁾. Hoc belli inter Nabim et Achaeos principium fuit, in quo Philopoemen huius quoque tyranni vires fracturus erat.

Magnam non solum apud cives suos sed etiam apud cunctos Gracos auctoritatem consecutus Philopoemen, Achaeosque suis viribus stare assuefaciens, ita ut paulatim ex Macedonum arbitrio pendere desinerent, invidiam et iram Philippi regis excitavit. Qui, Achaeos ratus, si interemptus esset Philopoemen, se rursus ip-

¹⁾ Polyb. XIII, 8, 3 sqq.

si submissuros esse, percussores Argis¹⁾ degentem illum occulte iugulaturos subornavit (205); cognito vero caedis consilio adeo Achacis invitus fuit rex, ut arcta inter Achaeos et Macedones necessitudo magis magisque dissolveretur²⁾. Philopoemen autem illaesus evasit Achaeorumque potestatem ac gloriam augere perrexit.

Quod iam Aratus sibi proposuerat, ut totam Peloponnesum foederi Achaico adiungeret, id summo studio Philopoemen perficere contendit.

Eius imprimis opera factum est, ut Megarenses diu intermissam cum Achaeis amicitiam renovare mente agitarent. Illi enim a Cleomene, quum Isthmum occupasset, bello pressi, destitutique ab Achaeis, Boeotis, Achaeorum Macedonumque eo tempore sociis, se coniunxerant.

Iam vero, Boeotorum reipublicae conditionem indigunti, rursus Achaeorum foederi se addixerunt³⁾. Boeoti autem ira incensi, quod contemni sibi videbantur, auctoribus imprimis Thebanis, magnis copiis adversus Megarenses tetenderunt, qui, quum illorum adventus

¹⁾ Plut. l.l. 12. Pausan. VIII, 50, 4: ἐς Μεγάλην πόλιν, quod Philopoemen ibi habitare solebat; qua vero mutatione minime opus est.

²⁾ Justin. XXIX, 4.

³⁾ Polyb. XX, 7 sqq.

nullam rationem habuissent, mox acie victi sunt. Tum repente Boeoti Megara oppugnare aggressi sunt, eaque expugnaturos se continuo superatis muris sperabant, sed mox sparso inter eos inani rumore, Philopoemenem cum Achaeorum excrcitu, suppetias obsessis profectum, citato agmine accedere, relictis ad murum scalis, praecipiti fuga fines suos repetiverunt¹⁾.

Brevi post Philopoemen Nabim tyrannum, qui ne a suis quidem sociis opprimendis abstinebat, coercuit. Uti iam vidimus, postquam tyrannidem occupavit, cum Aetolis Messeniisque societatem iniit, quae quamvis duraret, Nabis tamen, nullam omnino iniuriam passus, calcata omni fide, necopinantes Messenios adortus est et urbem totam practer arcem Ithomen cepit.

Privatus tunc (anno 202) vivebat Philopoemen²⁾, qui Messenios in Achaeorum partes pertrahendi opportunitatem adesse ratus, simulque tyranni facinus indignatus, Lysippo Achaeorum stratego, ut Messeniis opem ferret, persuadere conatus est.

¹⁾ Plut. l. l. 12. Pausan. l. l. Locus, quo haec res a Plutarcho et Pausania narratur, indicat, eam incidisse in tempus inter Philippi conatum Philopoemenem e medio tollendi et Nabidis in Messeniam incursionem. Quod autem Plut. l. l. 2 de Philopoemene Megaris degento narrat, pluribus decimam annis post, anno fere 186, id evenit, quum Megarenses de Boeotorum vexationibus essent questi. Cf. XXIII, 2, 10 sqq.

²⁾ Plut. l. l. 12. Cf. Compar. Philop. c. Flamin. 3.

Ubi vero hic recusavit, dicens, prorsus amissam esse urbem, quam hostes iam tenerent, ipse Philopoemen, voluntariorum manu coacta, auxilio profectus est. Nabis autem, illum prope adesse certior factus, licet praesidio iam urbem firmasset, eius impetum non tulit, sed per aliam portam festinanter copias suas subduxit ¹⁾.

Anno 201 Philopoemen tertium strategus, quum Nabis a praedando non desisteret, expeditionem adversus hunc suscipere statuit, Tegeaque opportunissimus, quo copias cogeret, ei visus est locus.

Propter ingentem autem tyranni exploratorum numerum strategemate usus est ²⁾. Omnium urbium Achaeorum intervalla reputavit, et vero perpendit, quarumnam copiae eadem via Tegeam venire possent. Deinde epistolas ad omnes urbes scripsit, easque ad remotissimas ita dedit, ut harum quaeque non solum ad se scriptam epistolam acciperet, verum etiam epistolas scriptas ad alia oppida, in eadem atque ipsa via sita, sed minoribus intervallis a Tegea distantia.

In iis autem epistolis, quae primum traderentur, ad urbium magistratus scripta erant haec: „Ubi acce-

¹⁾ Minus probabile Pausan. VIII, 50, 5. ἀφικομένου δὲ ἐς τὴν ὑστερίαν στρατιὰ Φιλοποίμενος ἐξέπεσεν (οἱ Νάβις) ὑπόσπουδος ἐκ Μεσσήνης.

²⁾ Polyb. XVI, 36.

peritis has literas, protinus curatote, ut, qui per aetatem arma ferre possunt, cum armis, et quinque dierum cibariis, et pecuniae quinque drachmis quam primum omnes in forum congregentur. Postquam, qui praesto erunt, convenerint, his assumptis, ad proximam urbem ducitote. Quo ubi adveneritis, epistolam loci magistratui inscriptam traditote, eiusque argumento obtemperatote."

Scripta autem erant in hac eadem atque in prioribus, urbis tantum nomine mutato. Hoc modo illud efficiebatur, ut nemo compertum haberet, ad quam expeditionem vel ad quale incepturn apparatus ille fieret, neque omnino quisquam alium praeter urbem proximam, quo tenderent, locum nosset. Verum omnes incerti seque invicem assumentes ad ulteriora progrediebantur. Quum vero urbes remotissimae non aequo spatio a Tegea distarent, ne omnibus illis simul, sed ut singulis habita intervalli ratione traderentur epistolae, Philopoemen curaverat. Itaque neque Tegeatis neque iis qui adveniebant, quid ageretur, scientibus, omnes simul Achaci per omnes portas Tegeam cum armis intraverunt.

Eodem die Philopoemen delectos emisit, qui, ubi circa Sellasiam pernoctassent, postero die prima luce Laconicam incursarent¹⁾). Si autem tyranni stipendiarii suppetias advenientes negotium iis exhiberent, ad

¹⁾ I. I. 37.

Scotitam, inter Tegeam ac Spartam situm, gradum referrent. Ceterum Didascalondae Creti, quem ob fidem toti illi rci gerendas praeposuit, praexcepta de ea impertivit.

Ipse vero Philopoemen, tempori coenare iussis Achaeis, Tegeaque copiis eductis, postquam per totam noctem iter continuavit, primo mane exercitum in locis circa Scotitam considere iussit.

Qui autem Pellenae erant mereenarii, postridie a speculatoribus de hostium impetu certiores facti, confessim auxiliatum accurentes in Achaeorum delectos invaserunt, hisque ex imperato recedentibus fidenter audacterque institerunt. Ubi vero in insidiarum loca inciderunt, consurgentibus Achaeis, mereenarii partim occisi, partim capti sunt. Tum Philopoemen Laconicam devastavit, tantumque tyranno metum incurrusit, ut, dum ille strategus esset, Achaeos novis incursionibus lacessere ausus non sit.

Quum deinde Romani Philippo Macedonum regi arma inferre decrevissent, auctoritate sua Philopoemen, ne a rege sollicitati una cum eo contra Romanos bellum gererent, Achaeos retinuit.

Elapso strategiae spatio, quum, ut imperium sibi prorogaretur, frustra operam dedisset¹⁾), huius repulsae

¹⁾ Optimates, quorum factioni „ad Philippum trahontium res“ (Liv. XXXII, 19) Philopoemen adversabatur, quominus rursus

ira exacerbatus denuo in Cretam transmisit, ubi Gortynii, qui tunc gravi bello premebantur, copiis suis illum praefecerunt.

Licet reprehendendus sit Philopoemen, quod, Achaeis ob Philippi Romanorumque in Graecia bellum magno in discrimine versantibus¹⁾, patriam reliquerit, negari tamen non potest, Achaeos valde ingratos in illum fuisse, quum viro optime de ipsis merito Cycliadem hominem imperitum praetulerint²⁾.

Ut primum Philopoemen strategia defunctus est, confestim Nabis ad hostilia rediit. Novus enim strategus Cyclades belli usus, quo excellebat Philopoemen, expers erat Achaeique praeterea, quieturum Nabim confisi, mercenarios tantum non omnes dimiserant. Quae omnia quum tyrannum ad adoriendam rempu-

strategus legeretur obstitisse videntur. Cf. Hertzberg, I. I. pg. 63 sq. Lex enim, quae, ne quis per duos annos continuos strategiam habcet, vetabat, saepius negligebatur, neque tunc eam infringere religioni habuissent Achaci.

¹⁾ Liv. XXXI, 25. Cf. Hertzberg I. I. pg. 66.

²⁾ Plut. I. I. 13 verbis: Ταῦτα μὲν οὖν καλὰ τοῦ Φιλοποίμενος, a Polybio ad Aristocratem transit; sic enim pergit: Ἡ δὲ εἰς Κρήτην αὐθις ἀποδημία Γορτυνίων δεηθέντων, ὡς χρήσαντο πολεμουμένοι στρατηγῷ, διαβολὴν ἔσχεν, ὅτι τῆς πατρίδος αὐτοῦ πολεμουμένης ὑπὸ Νάβιδος ἀπὸν φυγομαχῶν ἢ φιλοτιμούμενος ἀκαίρως πρὸς ἐτέρους. Verbis: ξσαν δέ τινες οἱ λέγοντες, ἐτέρους τῶν Ἀχαιῶν ἡρημένων ἄργουντας, ιδιώτην ὄντα τὸν Φιλοποίμενα χρῆσαι τὴν ἐσωτῆρον σχελὸν ἐφ' ἡγεμονίᾳ δεηθεῖσι τοῖς Γορτυνίοις κ.τ.λ. (Cf. Polyb. XXIII, 1, 7 sqq.) rursus ad Polybium respicit, qui Philo-

blicam incutam atque imparatam excitassent, iam non amplius in agris diripiendis substitit, sed oppida quoque tentavit. Quin ab eo ita continenter illo tempore bello premebantur Megalopolitani, ut se moenibus inclusos tenerent, areasque ac vias consercerent, hostibus agros depopulatis, et tantum non in urbis portis tendentibus¹⁾.

Ac Megalopolitae quidem rerum statum molestissime ferentes, proditosque se a Philopoemene esse rati, civitatem ei adimere voluerunt; at Achaei, quos ingratiam sui in Philopoemenem animi poenitebat, impediwerunt, misso Megalopolin Aristaeno stratego²⁾, qui, etsi Philopoemenis in gerenda republica adversarius³⁾, damnationem eam ad effectum adduci non sivit (198).

Interea Philopoemen in Creta cum Gortyniis non apertum et liberale bellum gessit, sed Cretensem bellandi morem secutus, eorumque artificiis et dolis, latrociniis et insidiis contra ipsos usus, brevi demonstravit, eos,

poemenis in Cretam profectionem non vituperabat. In sequentibus quoque duorum corumque diversorum fontium vestigia apparent.

¹⁾ Plut. l. l. 13 ex Aristocrate, rem augere videtur; quatenus hacc vera sint, difficile est coniectu. Cf. Liv. XXXI, 25. XXXII, 19.

²⁾ Liv. l. l.: „Cycliadem — expulerant [Achaei], Aristaenus — praetor erat.”

³⁾ Romanorum partibus Aristaenus favebat.

tamquam pueros, incertas atque inanes adversus veram peritiam fallacias fingere ¹⁾.

Quum rebus in Creta gestis magnopere inclaruisset, tandem post sex annorum absentiam, anno 193, in Peloponnesum redux ²⁾, bellum inter Nabim et Romanos Achaeosque exortum esse cognovit ³⁾.

Achaei enim anno 198, auctore imprimis Aristaeno, afoedere cum Philippo ad Romanorum transierant societatem.

Secundum haec Philopoemen multos circumiacentes pagos a fide erga Megalopolitanos dimovit, λέγειν διδάξας, ώστε οὐ συνετέλοντο οὐδὲ ἡσαν ἐξ ἀρχῆς εἰπίνων, καὶ λεγούσαις ταῦτα φανερώς συνηγορίσατο καὶ συγκατεστασίασε τὴν πόλιν ἐπὶ τῶν Ἀχαιῶν ⁴⁾.

¹⁾ Plut. I. l. 13. De rebus a Philopoemene in Creta gestis singillatim nihil novimus. Cf. Hoeck Kreta III, 468.

²⁾ Pausan. VIII, 50, 5 duas, quae apud Plut. I. l. 13, 14 exstant, diversas narrationes ita coniungit, ut Philopoemenum propter popularium iram in patriam rediisse scribat: ποιουμένων δέ ἐν ὁργῇ διὰ τὴν ἀποδημίαν τῶν Ἀρκάδων αὐτόν, ἐπάνειπτο ἐν Κρήτῃ.

³⁾ Plut. I. l. 14.

⁴⁾ Plut. I. l. 13 qui dicit, Philopoemenum hoc fecisse παρορθόμενον ὑπὸ τῶν πολιτῶν. Est haec res valde obscura, cuius accuratam apud antiquos scriptores expositionem requirimus; quare, num fide digna sit Plutarchi narratio, statuere non licet. Videtur tamen haec in re Philopoemenu studio omnium foederatorum iura aequandi potius quam odio in patriam motus fuisse. Cf. Hertzberg I. l. pg. 159. Nam quatuor tantum annis post, Lacedaemonie subacta, quam bene Megalopolitanis vellet satis ostendit. Immerito Nissen, I. l. pg. 286 totam rem in dubium vocare videtur.

Nabis a T. Quinctio Flaminino, anno 195, superatus at non profligatus¹⁾, ubi primum Romanorum copiae o Graecia decesserant (194), bellum instauraverat, iamque anno 192 vehementissime Gythium²⁾ expugnare aggressus est.³⁾

Achaei, quibus post pacem cum tyranno compositam orae Laconicae maritimac patrocinium erat mandatum, ob sessis praesidium miserunt, simulque Romae per legatos, quid porro faciendum censeret senatus, explorarunt.

Romani, nuntiata tyranni rebellione, classem, qua A. Atilius Serranus praetor cum copiis in Graeciam traiiceret, exornarunt.

Legatis quum a senatu ambiguum responsum redditum esset, Sicyonem concilium convocarunt Achaei, aliosque legatos miserunt, a T. Quinctio, ut ipsos consilio iuvaret, petituros. Hic enim princeps legatorum,

¹⁾ Errat Plut. l.l. 15, Flam. 13, dieens: T. Quinctium Flaminum Nabidi pacem concessisse φιλονεικία καὶ ζηλοτυπία τῶν Φιλοποίουντος τιμῶν, δύ περὶ ἐκεῖνον τὸν πόλεμον ἔργα Σαυραστά τόλμης καὶ δεινότητος ἀποδειξάμενον ἵστι τῷ Τίτῳ κυδαινοντες Ἀχαιοὶ καὶ τιμῶντες ἐν τοῖς θεάτροις ἐλύπουν ἐκεῖνον, tunc enim Philopomen adhuc in Creta degebatur.

²⁾ Emporium ad sinum Laconicum, τὸ τῆς Σπάρτης ἐπίνειον. Strabo VIII, 5, 2. Anno 195 cum tota maritima Laconiae ora Nabidi erat ademptum.

³⁾ Liv. XXXV, 25.

quos, ut animos a defectione deterrent, miserat senatus, in Graecia versabatur.

Achaei quidem tantum non omnes tyrannum quam primum bello petendum esse statuebant, quum vero per literas T. Quinctius, ut praetorem classemque Romanam opperirentur, quae obsidione maritima Gythium liberaret, suaderet, concilium Philopoemenis, quartum eo anno ob periculum a Nabide imminens strategi ab Achaeis creati, opinionem exploravit.

Qui quoniam metuebat, ne cunctando Achaei una cum Gythio praesidium quoque, quo firmarant illam urbem, perderent, arma continuo Nabidi inferendi auctor fuit. Cognita incluti viri sententia, bellum statim suscipi omnes iusserunt.

Id agens, ut commeatum obsessis subveheret eosque obsidione liberaret, Achaeorum naves Philopoemen ornavit. Tyrannus contra, cui classem, anno 195, pacem ei concedentes Romani ademerant¹⁾), naves non nullas novas, quibus Gythii portum custodiret, aedificandas curaverat. Iam vero, num illae satis veloces essent, experiri cupiens, militesque ac nautas exercitus, quotidie in alto pugnas simulatas instituebat.

Rerum navalium plane ignarus Philopoemen, belli terrestris peritiam ad rem mari quoque bene gerendam

¹⁾ l. l. 26.

suffectorum sibi persuadebat, quae vero opinio valde eum fecerit.

Aegii in navalibus quadriremis asservabatur, quae, octoginta ante annis, Alexandri, Crateri filii ¹⁾, uxore Nicaea Naupacto Corinthum traiciente, capta erat. Hanc, etsi iam valde rimosam et putridam, instruendam armandamque curavit, qua navi praetoria Tiso Patrensis classis praefectus uteretur. Quum Nabidis classis in alto Achaeorum naves adorta esset, primo statim impetu Tisonis navis, quae ne placidae quidem navigationi apta erat, submersa est, ita ut ii, qui ea vehebantur, in hostium venirent potestatem. Quod ubi a ceteris est animadversum, confessim omnes fugae se dederunt; ipse Philopoemen in scapha piscatoria Patras evasit ²⁾.

¹⁾ I. l., ubi post verba „Crateri uxorem” sine dubio „filii” excidit. Nicaea enim illa uxor fuit Alexandri, Crateri minoris filii, Corinthi principis. Plut. Arat. 17. Cf Schorn, *Gesch. Griech. von der Entsteh. des ätol. und achäis. Bundes bis auf die Zerstör. Korinths*, pg. 271. Trog. Pomp. prol. 26 bellum inter Alexandrum illum et Antigonum Gonatam memoratur. Ceteroquin nihil ca de re compertum habemus. Plut. I. l. 14 parum accurate dicit: δι' ἐτῶν τεσσαράκοντα κατασπάσας.

²⁾ Pausan. VIII, 50, 5 non inepte Homerum citat, qui II. II, 612 sqq. Arcades navigationis ignaros fruisse ita testatur:

αὐτὸς γάρ σφιν δῆκεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
υῆκε ἐνστέλμους, περόναν ἐπὶ οἴνοπα πόντον,
Ἄτρειδης· ἔπει οὐ σφι θαλάσσια ἔργα μεμήλει.

Philopoemen, belli fortunam variam esse minime ignorans, clade illa maritima haudquaquam perculsus fuit, quum speraret fore ut mox turpitudinem fugae virtute deleret.

Nabis Achaeorum exscensionem iam non amplius metuens¹⁾, ut a terra quoque ad Gythium aditus intercluderet, tertiam copiarum partem circa Acrias, qua facillime hostes accedere poterant, stativa ponere iussit. Quum vero multis tabernacula non suppeterent, casas hi arundineas fronde tectas fecerunt.

His compertis Philopoemen incautum hostem opprimendi occasionem non dimisit. Naviculas, quas quam potuit occultissime ad oram Argivam coëgit, expeditos milites concendere iussit. Inde secundum litus ad promotorium, a quo haud procul distabant hostium castra, navigavit, ubi quum cum suis escendisset nocte Lacedaemonios incendio est adortus. Vigiles, ne illum quidem periculum suspiciati, sommo indulserant; per militum igitur casas prius undique flamma effusa est, quam hostem adesse quisquam animadvertisit. Qui ex igne effugerunt ab Achaeis necati sunt, paucissimi tantum in maiora castra ad Gythium evaserunt²⁾.

Falso idem rem ita proponit ac si Romani huius belli maritimi participes fuissent.

¹⁾ Liv. I. I. 27.

²⁾ Plut. I. I. 14. Pausan. I. I.

Tum, nulla mora interposita, Philopoemen Laconici agri partem, quae Megalopolitarum finibus adiacet, devastavit, praedaque ingenti potitus, ante in Arcadiam rediit, quam Nabidis copiae, quae Achacos repellerent, adventarent.

Tegeam deinde Achaeorum copiis coactis, ipsam Spartam aggredi statuit, hoc modo sperans forc ut tyrannum a Gythii obsidione averteret. Eodem vero die, quo ad Carias progressus in agro hostili castra posuit, Lacedaemonii Gythio potiti sunt, cuius rei ignarus Philopoemen, ad Barbosthenem montem, decem millia passuum a Sparta distantem, processit.

De hostium irruptione certior factus Nabis, quum illos Pyrrhi, quae dicebantur, castra occupare velle suspicaretur, ipse cum expeditis hunc locum praecipere properavit. Tum Achaeis obviam tetendit.

Longo hi, ut in via angusta, procedebant agmine, quod ab equitibus maximaque stipendiariorum parte cogebatur ¹⁾). Tunc autem rerum eventus Philopoemenis exspectationem dupliciter fecellit, quod et Pyrrhi castra praesidio iam tenebat tyrannus, et Lacedaemonii, quos in postremos suorum invasuros esse exspectarat Achae-

¹⁾ Falso Pausan. 1.1. οἱ στρατεῖς δὲ ἄλλως μὲν ὑγιαῖοι (οἱ Ἀρχάδες, quo nomine saepius indicat τοὺς Ἀχαιούς) τὰ ἐς πόλεμου, ἀριθμὸν δὲ οὐ πολλοί.

orum strategus, primo ipsius agmini imminebant. Contra quos levis armaturae auxilio, quoniam in locis inaequalibus pugnandum foret, opus esse animadver- tens, constitutis signis, sagittarios Crotenses equitesque Tarentinos primo agmini opem ferre iussit ¹⁾.

Rupe occupata castrisque ibi magna cum difficultate, ut in solo confragoso, positis, ex loci ingenio ea firmavit. Nox prius oborta est quam consereretur proe- lium. Quum vero quingentos tantum passus Lacedae- monii ab Achaeis distarent, atque ex eodem rivo subter rupem illam fluenti utrisque aquandum esset, postridie certo ad tuendos aquatores armis certandum fore prae- vidi Philopoemen. Nocte igitur illa magnum cetratorum numerum in valle, ubi pree rupe interiecta ab hostibus conspici non poterant, in insidiis collocavit.

Ubi illuxit et hostium aquatores cum levis armaturae praesidio ad torrentem accedebant, Achaeorum expediti milites cum his arma contulerunt ²⁾.

Postquam aliquamdiu ancipiti marte pugnatum est, Achaeorum mercenarii, uti iis a Philopoemene impe- ratum erat, terga vertentes hostes in insidias pellegerunt.

Cetrae, qui in valle delitescebant, iam repente pro- silentes, in hostes pugna fatigatos fugientibusque

¹⁾ Liv. I. I. 28.

²⁾ I. I. 29.

incomposite instantes irruerunt, multosque primo impetu trucidarunt. Ceteri, statim praecipiti fuga castra repe-tentes, plerique interfecti vel capti sunt.

Philopoemen, quod propter locorum iniquitatem hostium castra tentare non auderet, suos ab insectatione revocavit. Quo vero ducem e castris eliceret, strate-gemate usus est; stipendiariorum aliquem tamquam transfugam Nabim adire atque ei nuntiare iussit: „postri-die Achaeos ad Eurotam castra promoturos, ut et reditu in urbem et ab urbe commeatu tyrannum pro-hiberent.” Idem, si posset, animos ad defectionem a tyranno sollicitaret. Neque Philopoemenem spes fefellit.

Postridie enim Nabis mercenarios et equites ante castra constituit, ipse vero cum ceteris copiis velut ad proelium egressus, citato agmine Spartam duxit. Quod ubi animadvertisit Philopoemen, equitatum omnem et mercenarios Cretenses in hostes ante castra collocatos impetum facere iussit ¹⁾). Hi, a tyranno se destitutos cernentes, intra castra configere conati sunt, quum vero omnes Achaeorum copiae celeriter accederent, per-territi incepturn illud missum fecerunt, et suos, qui in via angusta et proclivi aegre procedebant, assequi festinarunt.

¹⁾ l. l. 30.

Confestim Achaeorum cetrati hostium castra ceperunt compilaruntque, ceteri fugientibus instantes progressi sunt. Simul ac novissimos a tergo adorti sunt, armorumque strepitus a primo agmine est exauditus, omnes tyranni milites, abiectis armis, in silvas viam utrimque tangentes dilapsi sunt.

Philopoemen, stipendiariis ad urgendos hostes emissis, ipse cum gravi armatu expedito itinere progressus, appetente nocte ad Eurotam castra posuit. Quum mercenarii, prima vigilia ab hostium insectatione redeuntes, Nabim cum nonnullis aliis Spartam effugisse, reliquos autem incrmes per silvas palari afferrent, ipse strategus cum delecta manu ex iis militibus, qui cibo ac quiete iam satis vires recreaverant, eaque gladiis tantum armata, profectus est, atque eos iuxta vias, quae Pharas et Barbosthenem ferebant, in insidiis collocavit.

Vesperascente die Lacedaemonii paulatim ad silvae oram redire ausi, ut primum Achaeorum castra, quae e fulgentibus ignibus agnoscebant, praeterierunt, nihil iam amplius periculi metuentes, singuli in vias apertas prodierunt. Quorum plurimi in Achaeorum insidias incidentes perierunt, alii vivi capti sunt, ita ut tyranus ea clade tres minimum copiarum partes amiserit¹⁾.

¹⁾ Liv. I. l. 29. Cf. Plut. I. l. 14.

Deinde Philopoemen, quum Nabis Sparta egredi non auderet, per totum fere mensem Lacedaemoniorum agros depopulatus est. Oppida Laconiae tantum non omnia ad Achaeorum partes transierunt.

Domum autem redeuntem victorem ingenti laetitia omnes exceperunt, eximiis illum laudibus extollentes, atque ob res adversus Nabim gestas ipsi adeo T. Quinctio Flaminino anteponentes¹⁾, quippe qui, etiam si tyrannum opprimere posse videatur, pacem ei concessisset. Quod T. Quinctium, utpote gloriae studiosissimum, clam offendit²⁾. Hic enim ab Achaeis se, ut Romanorum consulem, diligentius quam Arcadem coli postulabat, et beneficiis se illum longe superare existimabat, quod ipse Graeciae regiones, quae Macedonibus servierant, uno praeconio liberasset³⁾.

¹⁾ Iustin. XXXI, 3.

²⁾ Livius popularis sui in Philopoemenem invidiam, quam XXXV, 47 tangit, hic silentio praetermisit.

³⁾ Plut. l. l. 15.

C A P U T III.

Ceterae res a Philopoemene gestae usque ad bellum Messenium (192—184).

Nabis iam in summo discrimine versabatur, neque profecto Philopoemen vires prope fractas reficiendi spatium ci dedisset, sed protenus eas confecisset, nisi T. Quinctius, Philopocmenis gloriae invidens, victoris cursum stitisset. Legatus enim, mandatis, quae a senatu habebat, usus, auctoritatem suam interposuit, Achaeisque patrum iram comminatus, inducias eos cum tyranno inire coëgit¹⁾). Nabis, opes suas augendi

¹⁾ Plut. l. l. et Pausan. l. l. bella anno 195 et anno 192 adversus Nabim gesta confundunt, secundo quoque Romanos interfuisse scribentes. Inde nonnullorum scriptorum de prioris belli exitu

tempore non dimisso, Aetolorum auxilium imploravit, qui tamen, antequam induciarum dies exit, perfidiose eum possum dederunt.

Mille enim milites auxiliarium specie Spartam miserunt duce Alexameno, tyrannum interficere urbemque foedori Aetolorum adiungere clam iusso. Alteram mandati partem Alexamenus peregit, alteri exsequendae par non fuit. In mercenariorum conspectu Nabis oppressus et trucidatus est, quod tam Lacedaemonios quam stipendiarios omnes consternavit ¹⁾). Quodsi igitur Alexamenus, opportunitate strenue usus, praesidia per urbem disposuisset, militesque severo imperio coercens ac moderato se gerens, civibus fiduciam fecisset, antiquae hi necessitudinis memores, sponte, ut videtur, Aetolis se adiunxissent. Verum omnibus hisco neglectis, caede perpetrata, ipse cum paucis in tyranni aedes properavit, ibique, divitiarum avidus, omnia per scrutatus est; quod ducis exemplum secuti, ceteri compilaturi in domos irruerunt.

narratio fluxit, quam affert Livius XXXIV, 41: „Sunt, qui non ex oppido proficiscentem bellum gessisse tyrannum tradant, sed castris adversus Romana castra positis; diuque cunctatum, quum Aetolorum auxilia exspectasset, coactum ad extremum acie confligerere, impetu in pabulatores suos ab Romanis facto; eo proelio victum, castrisque exutum pacem petisse: quum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quatuor millia essent.”

¹⁾ Plut. l.l. Pausan. l.l.

Spartiatae, quum interea ex timore se recepissent, ad arma concurrerunt, atque in hostes dispersos impetum fecerunt. Horum, caesis plerisque, pauci, qui Tegeam et Megalopolin fugerunt, ibi a civibus, odio erga Aetolos percitis, comprehensi venierunt.

Superatis hostibus, dissensiones civiles Lacedaemoniorum rempublicam miscere coeperunt, quum duas factiones, quarum alteram, qui a tyranno steterant, alteram prisci cives efficiebant, de principatu inter se certarent. Philopoemen autem, ne alter Nabis Spartae rerum potiretur, prohibuit. Anceps adhuc factionum certamen erat, quum inopinatus cum copiis ad urbem accessit. Postquam Lacedaemoniorum principes ad se vocavit atque orationem habuit Philopoemen, ab iis, qui reipublicae bene cupiebant, custodem se illum libertatis habituros sperantibus, libenter exceptus est, mercenarios autem metus invasit, quod eodem tempore A. Atilius classem quatuor et viginti quinquemium ad Gythium appulit (192) ¹⁾.

Ita tandem, post multos irritosque conatus, Achaeis societati suae Lacedaemonios adiungere contigit; de Spartiatarum autem institutis legibusque nihil immutarunt. Facinore vero illo mirifice Philopoemenis gloria

¹⁾ Liv. XXXV, 37.

apud Achaeos aucta est, qui iis tantae auctoritatis atque potentiae urbem acquisivisset¹⁾.

Quam primum Antiochus Syrorum rex, arcessentibus Aetolis, ut opem ipsis adversus Romanos ferret, in Graeciam traiecit, Elei ac Messenii statim illius partes sunt secuti. In compluribus quoque foederis Achaici oppidis Antiochi adventus rerum novarum studium excitavit. T. Quinctius igitur, ut Romanorum commoda tueretur, Aegium profectus est, ubi Syrorum Aetolorumque legati in conventu adfuerunt. Illi infinitas regis copias, hi suam bellandi virtutem iactarunt, cui Romani victoriam ad Cynoscephalas de Maccdonibus reportatam deberent; T. Quinctium etiam universumque populum Romanum conviciis consecinati sunt. Nihilominus hoc tantum rogarunt, ut Achaei armis non interessent.

Postquam autem legatus Romanus eorum postulato in concione adversatus est, ut repudiaretur illud, suasit etiam Philopoemen, quem, odio in T. Quinctium motu, patriae causam proditurum falso putarant. Quin illius imprimis auctoritate factum est, ut Achaei non solum in foedere cum Romanis manerent, verum etiam Antiocho atque Aetolis bellum indicerent. Largiendo tamen Antiochus in nonnullis urbibus Achaicis, Co-

¹⁾ Plut. l. l. Pausan. l. l. 51, 1.

rinthi, Aegii, Patris, alibi, multorum animos sibi conciliavit; seditiones ibi ortae sunt, quibus tandem Romani intercedentes finem imposuerunt.

Lacedaemonii quoque foederis Achaici legibus se obstrictos esse aegre ferebant, dedecori hoc sibi ducentes¹⁾. Imprimis, ut videtur, deletae tyrannidis fautores praesenti rerum statui adversabantur, qui, id agentes, ut respublica, libertatem denuo consecuta, agri partem, quam cedere debuerat, recuperaret, cum Antiocho atque Aetolis de auxilio sibi ferendo agere coeperunt. Anni 191 initio, Diophane Diaei filio Megalopolitano apud Achaeos strategia fungente, ea evenerunt.

Aemulari hic Philopoemenem, quo duce expeditionibus adversus Nabim interfuerat, atque imperatoria laude insigniri cupiens, ad populum tulit, ut tumultus Spartae exorti vi comprimerentur²⁾. Quum T. Quinctius, qui eo tempore in Peloponneso versabatur, in eandem iret sententiam, tantumque auctoritate valeret, ut strategi rogatio perferretur, mox ambo cum Achaeorum exercitu ad bellum Lacedaemoniis inferendum sunt profecti.

¹⁾ Cf. Hertzberg, I. l. pg. 144.

²⁾ Pausan. I. l. non ut solet Plutarchum sed alium ducem sectatus, in errorem inductus est. Dicit enim, T. Quinctium Flamininum et Diophanem id Lacedaemoniis criminis dedisse, quod novas res contra Romanos moliti essent, et T. Quinctium Flamininum Πωγκιών τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα ἡγεμόνα vocat.

Hac vero opportunitate Philopoemen rursus praeclarum facinus edidit¹⁾). Primo placare Diophanem est conatus, eum monens, temporis conditionem postulare, ut, rege Antiocho et Romanis cum tantis copiis in Graecia belligerantibus, strategus hue animum adverteret, neque res domesticas commoveret, sed in quibusdam suorum delictis conniveret. Quum vero Diophanes illius vocem sperneret, aegerrime ferens Philopoemen Spartam tetendit, atque Achaeorum strategum et legatum²⁾ Romanorum, privatus ipse, ea urbe exclusit³⁾, restinctisque, qui ibi exorti erant, motibus, Lacedaemonios rursus Achaeorum reipublicac adiunxit, quo facto, ne ad extrema iura decurreretur, prohibuit.

Ob haec merita et ob res in utrumque tyrannum gestas Spartiatae, domo et facultatibus Nabidis tyranni venditis, centum ac viginti talenta inde effecta Philopoemeni dono dare decreverunt⁴⁾). Quum vero nullus Spartiatarum cum tali viro de accipiendo dono colloqui vellet, hospitem eius Timolaum ad hoc negotium

¹⁾ Cf. Plut. I. I. 16, ubi Aristocratem secutus est.

²⁾ Plut. I. I. falso τὸν Ὑπάτον dicit, quod Aristocrati, quo hoc loco usus est, tribuendum videtur. Polybius accuratius scribit.

³⁾ Plutarchus I. I. vocat: ἔργον οὐ νόμιμον οὐδὲ ἀποκριβωμένον ἐκ τῶν ἀναίσχων, ἀλλὰ μέγα. Et sane facinus illegitimum erat, quod tantum generosa, ob quam perpetratum est, causa excusari potest.

⁴⁾ Plut. I. I. 15. Polyb. XXI, 15, 1—7. Cf. Schorn I. I. pg. 290. Keil in Ersch-Gruber Allgem. Encycl. i. v. *Philopōmen*, n. 45.

peragendum elegerunt. Hic autem, quia eius gravitatem in congressibus et simplicitatem vitae et mores, qui neutquam adiri neque capi pecunia possent, prope cognoverat, semel atque iterum rei mentionem facere ausus non est. Tertium profectus, quum tandem Spartiarum donum Philopoemeni obtulisset, atque hic illius nuncium praeter exspectationem benignie audivisset, magnopere eo gavisus est Timolaus, propositum se assecutum esse existimans. Philopoemen autem post paucos dies Spartam se venturum esse dixit, omnibus enim civibus pro munere illo se gratias agere velle. Secundum haec igitur Spartam venit et in contionem vocatus: „Lacedaemoniorum erga ipsum voluntate magnopere se delectari,” ait, „at se iis suadere, ne amicos et probos viros, quorum virtute gratis frui liceret, pecunia sollicitarent; verum ut malevolos quique rempublicam in senatu miscerent, pretio mercarentur et corrumperent, ut isti, accepta pecunia ad silentium compulsi, ipsis minus molesti essent¹⁾; inimicorum enim potius quam amicorum loquendi libertatem esse tollendam.”

Brevi post cladem Antiocho ad Thermopylas a M'. Acilio Glabrone consule illatam, Elei ac Messenii liber-

¹⁾ Verba Pausaniae VIII, 51, 1: ταῦτα δέ εἰς Τιμόλαου κύρων λέγονται ὑπερηφανεσθαι corrupta esse videntur.

tate privati sunt (191), utpote qui a Syris stetissent. Achaeis enim ex pacto Romani populos illos vel invitatos foederi adiungendi potestatem fecerant. Elei, aliquamdiu cunctati, tandem sua sponte, spreta Romanorum intercessione, ad Achaeorum foedus accesserunt; Messenii vero, Romanorum potius auxilio quam suis viribus confisi, in contumacia persistiterunt. Neque T. Quinctius, quem, ut intercederet, Messenii in angustias adducti per legatos rogarunt, eorum spem destituit, sed, ut primum Diophanes Achaeorum strategus Messenen vi expugnare paravit, festinanter ille eo profectus, ambas partes ad se vocavit. Messenios quidem exsulibus in patriam redditum concedere Achaeorumque foederi se adiungere iussit, sed simul, si deinde ab Achaeis inique secum agi censerent, vel qua de re controversiae ipsis cum sociis illis exstitissent, ut se arbitro uterentur, monuit¹⁾.

Quum vero propter reductos exsules mox novae turbae in Messenia essent exortae; et metuendum esset, ne Messenii denuo ab Achaeis deficerent, Philopoemen, tumultui se interponens, res composit, quo effecit, ut anno 190, Diophane adhuc strategia fungente, Achaeorum foedus totam Peloponnesum complectetur.

¹⁾ Liv. XXXVI, 31.

Ex illo autem tempore Romani, Achaeis obtructantes, non solum, quominus horum respublica deinde augeretur, obstiterunt, sed ne intra Peloponnesi quidem fines diu pace eos uti passi sunt, id nimirum agentes, ut, rerum motibus subinde excitatis, ipsi, intercedendi opportunitates nacti, Achaeorum potestati officerent et tandem iis leges scriberent.

Mox senatus Achaici foederis sanctitatem parum se curare ostendit. Quum enim Lacedaemonii, missis Romanis legatis, peterent, ut maritima sibi restituerentur loca et remitterentur obsides, quos a Nabide T. Quintius acceperat, senatus, quamvis e foederis legibus singulis civitatibus cum exteris populis agere non liceret, Lacedaemoniorum tamen legatos admisit; obsidibusque remissis, simul mirari se patres significarunt, quod exsules Spartiatae non reducerent, quoniam libera esset eorum respublica. Praeterea M'. Acilius Glabrio consul atque T. Quintius Flamininus, exsulum causam tueri iussi, anno 190 Aegii in Achaici concilii conventu autumnali adfuerunt, ibique ut redditus illis concederetur petierunt.

Quorum postulato ut obtemperarent Achaei quum suaderet Aristaeus Megalopolitanus, admoneretque eos, ut non modo tunc sed semper quaecumque Romanis placerent omni modo comprobarent nullaque in re

illis resisterent¹⁾, Philopoemen rursus se fortem ac strenuum libertatis propugnatorem praestitit. Non enim odio erga exsules motus, sed id agens, ut ipsius Achaeorumque opera, non vero in T. Quinctii vel populi Romani gratiam, illi restituerentur, legatis pro contione adversatus est ac, ne voti compotes fierent, prohibuit²⁾.

Aristaeno, Achaeos Romanis, quibus minime pares essent, repugnare non debere, contendenti respondens: „ne tantam sibi”, ait, „ignorantiam tribueret, ut perspicere non posset, neque quanto opere Romanorum Achaeorumque respublicae inter se different, neque quantum illorum opes horum potentiam exsuperarent; sed ferente natura, ut potentissimus quisque semper inferioribus durius utatur, utrum”, inquit, „conducit potentiorum impetum adiuvare, et nullum iis impedimentum afferre, ut quam primum gravissimorum iusserum periculum faciamus, an contra, quatenus possimus, obluctantes, illorum impetum retardare, atque potentiae acerbitatem quodammodo continere? praesertim quoniam Romani adhuc saltem, ut ipse ait, Aristaene, plurimi fecerunt iusiurandum et foedera et fidem erga socios conservare. Quod si autem

¹⁾ Polyb. XXV, 9. 9a. Cf. Drumann, *Ideen zur Gesch. des Verfalls der griech. Staaten*, pg. 472.

²⁾ Plat. l. l. 17. Pausan. l. l.

ipso, de iuribus nostris male existimantes, e vestigio, prouti captivi, cuilibet imperato faciendo paratos nos ipsos praestiterimus, quid differet Achaeorum gens ^a Siculis et Tyanis ¹⁾, quos iam diu servire manifestum est? Idecirco oportere inquit Achaeos aut concedere hocce, nihil valere iustitiam apud Romanos, aut, si illud dicere non auderent, iure suo uti; non vero se ipsos prodere et proiicere, quippe qui maxima ac pulcherrima praesidia contra Romanos haberent. Atque aliquando quidem adventurum Graecis diem illum, quo omne imperatum coacti facere deberent, se plane cognoscere aiebat; verum utrum quam primum, an contra, quam tardissime, videre illum velimus? profecto, ut videtur, quam tardissime. Hac ipsa igitur in re Aristaenum a se ipso in republica dissidere aiebat; etenim illum quam primum fatum impletum conspicere studere, et illud pro viribus adiuvare; ipsum vero eidem reniti, et, quoad posset, id propulsare ²⁾."

Et sane, Aetolis a M. Fulvio Nobiliore consule devictis, soli supererant omnium Graecorum Achaei, qui, ut a Romanis pares haberentur, iure petere possent. Non enim, ut ceteri, Romanorum beneficio vel

¹⁾ Nomen corruptum; fortasse legendum pro Τυανῶν (Polyb. XXV, 9b, 4): Τυρρηνῶν vel Ταραντίνων.

²⁾ Polyb. l. l. 9b, 1—7. Pausan. l. l.

praesidio libertatem acceptam referebant, sed suis adhuc viribus steterant. Ad tuendam autem in perpetuum libertatem adversus populum, qui, amplissimo imperio inhians, omnia opprimeret, Achaeorum opes non sufficiebant. Ipsorum quoque imprudentia, ac paene continuae, quae iis cum Lacedaemoniis intercedebant, contentiones sociis illis praepotentibus crebro auctoritatis suae in Peloponnesi rebus interponendae opportunitatem afferebant.

Lacedaemoniorum respublica ab exsilibus sollicitabatur, quorum permulti in vicis Laconiae orae maritima degebant, quam Lacedaemonii anno 195 totam cedere debuerant.¹⁾ Ili moleste etiam ferentes, se omnino a mari interclusos esse, emporioque, quo merces aliunde advectas reciperent, carere, anno 189 vicum Lan²⁾ ad mare situm subito nocte aggressi sunt, metuque perculsis incolis, quippe qui nihil tale exspectassent, facile ceperunt. Ubi vero ipsi a terrore se receperant, primo mane ad arma concurrerunt Lacedaemoniosque post brevem pugnam eiecerunt. Metuentes tamen, ne Lacedaemonii incursionses iterarent, eorum locorum incolae Lacedaemoniorumque exsules, missis ad Achaeos legatis, horum auxilium implorarunt. Philopoemen, qui

¹⁾ Liv. XXXVIII, 30.

²⁾ Cf. Pausan. III, 24. Strabo VIII, 5, 4. ed. Kram.

tunc quintum strategia fungebatur, exsulibus maxime cupiebat¹⁾; concilio igitur convocato, eo referente, decretum est: „Quum in fidem Achaeorum tutelamque T. Quintius et Romani Laconiae orae castella et vios tradidissent, et quum abstinere his ex foedere Lacedaemonii deberent, Las vicus oppugnatus esset, cedesque ibi facta; qui eius rei auctores affinesque es- sent nisi dederentur Achaeis, violatum videri foedus.”

Tum, nulla mora interposita, Lacedaemoniis Achaei per legatos, ut illos sibi traderent, imperarunt. Qui quum iussum illud animo iniquissimo ferrent et metuerent, ne Philopoemen, si hoc impetrasset, etiam exsules reduceret, irae indulgentes, triginta eorum virorum, qui cum Philopoemene de restituendis exsulibus consentire censebantur, neci dederunt, atque a foedere Achaico desceiverunt. Praeterea, missis continuo ad M. Fulvium consulem legatis, rogarunt cum, ut, Cephallenia, ubi tunc degebat, in Peloponnesum profectus, Spartam in fidem ditionemque populi Romani reciperet.

Quibus de rebus Achaei a legatis suis certiores facti, cunctis suffragiis, arma adversus Lacedaemonios movere constituerunt²⁾. Primo tamen res magnas non ges-

¹⁾ Liv. I. l. 31.

²⁾ I. l. 32.

serunt, sed tantum Lacedaemoniorum agros tam e-
scensionibus quam incursionibus diripuerunt. Ne acrius
statim bellum persequerentur, tum hiems prohibuit,
tum fortasse, quod eo tempore Achaei rerum domesti-
carum cura districti essent.

Ad illud usque tempus Achaeorum concilia semper
Aegii habita erant, quod, ut aequitati repugnans, quum
abrogare studeret Philopoemen, iam, anno 189, le-
gem promulgavit, ut in ceteras quoque foederis Achaiei
urbes deinceps concilia convocarentur ¹⁾. Id enim
agebat, ut Achaiae, quae, ut parva regio, nimia
auctoritate fruebatur, circumscriberetur potentia,
auctaque sociorum aequalitate, foedus firmaretur. Mu-
tatio ab eo proposita aptissima sanc erat ad ceteras ci-
vitates, se adhuc quodammodo sperni ratas, arctius
cum foedere coniungendas, et ad emendandam foederis
rationem. Aegienses tamen, aegre hoc ferentes, M.
Fulvium consulem, ut ipsorum ius tucretur, rogarunt,
auctoribus imprimis, ut videtur, Aristaeno et Diophane,
Philopoemeni obtrectantibus. Postquam M. Fulvius
in Peloponnesum traiecit, demiurgi, Achaiae cause
faventes, Aegium concilium edixerunt, ubi coram con-
sule de Philopoemenis rogatione ageretur, Philopoe-
men vero strategus Argos convocavit, quo quum longe

¹⁾ l. 1. 30. oesimoq[ue] in matriculis in annales

plurimos se conferre animadverteret Fulvius, ipse quoque, licet Aegiensibus favens, eo profectus est. Quominus autem Philopoemenis rogatio perferretur, prohibere non potuit.

Tum Elin Achaici concilii conventus edictus est, in quo et M. Fulvius et Lacedaemoniorum legati adfuerunt. Itaque quaestione de Achaeorum Lacedaemoniorumque controversiis proposita, postquam aliquamdiu ambae partes satis vehementer verbis inter se contenderunt, tandem consul, quo magis Peloponnesii Romanorum arbitrio obnoxii fierent, eos ad senatum delegavit, interea pace uti iubens. Utriusque igitur gentis legati Romanam profecti sunt; Achaeorum autem legationi Diophanes et Lycortas Megalopolitani praeerant. Quos legisse mox Achaeis poenitendi locus fuit; illi enim, quippe diversa capessendae reipublicae consilia habentes, orationes prorsus contrarias in senatu dicendo, Achaeorum causae valde nocuerunt. Diophanes, Romanorum gratiam appetens, senatus in Peloponnesi rebus arbitrium agnoscens, ut Achaeorum Lacedaemoniorumque controversias dirimerent, patres rogavit; Lycortas, Philopoemenis intimus sectamque eius secutus, Romanos Achaeorum, utpote liberae gentis, rebus iure se immiscere negans, ne his, quominus decreta sua exsequerentur, obstarent, flagitavit.

Senatus, ut discordiam in Peloponneso aleret, tam

anceps dedit responsum, ut alium ei Achaei, Lacedaemonii alium sensum tribuerent; Achaei veniam sibi poenas a Lacedaemoniis repetendi datam esse rati sunt.

Philopoemen igitur sextum strategus¹⁾, ineunte vere anni 188, cum Achaeorum copiis Laconicam invasit²⁾, castrisque ad Compasium prope Spartam positis, Lacedaemonios per legatos seditionis concitatores, quos nominabat, tradere iussit; cui imperio si obtemperassent, Achaeos neque illos causa indicta condemnatus, neque quicquam in republica Spartana novatueros. Lacedaemonii, etsi metu consternati, noxios tradere cunctati sunt, qui vero tandem, postquam legati fidem publicam interposuerunt, nihil contra eos re inorata statutum iri, sponte Achaeis se dediderunt. Complures e primoribus civitatis eos comitati sunt ad causam eorum, quam ad rem communem spectare arbitrabantur, tuendam.

Primum tunc Achaei exsilibus castra sua in Laconicam sequi concederant, qui, simul ac Lacedaemonios

¹⁾ Neglecta lego: „ne quis per duos annos continuos strategia fungeretur.”

²⁾ In rebus Philopoemenis in Laconica gestis enarrandis imprimis Livium (XXXVIII, 33, 34) secutus sum, qui hacc e Polybio habet, a quo Plutarchus, qui hoc loco Aristocrate usus est, in nonnullis discrepat, et primum quidem de huius expeditionis causa nihil dicit nisi: ἐγκατέσας τι τοῖς Λακεδαιμονίοις. Cf. Pausan. VIII, 51, 1.

accidentes conspexerunt, cuncti hisce obviam facti, conviciis eos, tamquam exsiliī sui auctores, consecinati sunt; tum odio flagrantes, impetu in Lacedaemonios dato, vinculis eos ligare coeperunt.

Qui quum deos violatae fidei testes invocarent, et strategus, clamore accitus, una cum legatis vim ab iis propellere conaretur, magis magisque exsules ultionis cupiditate exarserunt. Achaeorum quoque, quid rei esset sciscitantium, concursus facti sunt, quorum auxilium quum implorarent exsules ad puniendos violati foederis malorumque ipsis illatorum auctores, turba ab iis excitata septemdecim Lacedaemonios, qui iam vinculis constricti erant, lapidibus obruit. Reliquos sexaginta tres Philopoemen tunc quidem servavit, postridie vero, iudicii simulacro edito, postquam causam suam defendere tentantes, vix auditi sunt, hi quoque cuncti una sententia capitis condemnati sunt atque interficti¹⁾.

Tum Lacedaemoniis contra promissum durae conditiones sunt impositae: ut moenia demolirentur atque omnes tyrannorum mercenarios dimitterent, deinde ut, sublatis Lycurgi legibus institutisque, leges Achaicas adsciscerent, quo arctius cum Achaeis coniungerentur²⁾.

¹⁾ Universe igitur octoginta interficti sunt. Aristocrates, rem supra modum augens, trecentos quinquaginta occisos esse Spartiatas tradidit.

²⁾ Plut. l. l. 16, hoc ἔργον ἀμότατον καὶ παρανομώτατον vocans,

Praeterea omnes servi a tyrannis libertate donati, qui „Lacedaemoniis adscripti” dicebantur, quorumque ingens numerus erat, solum vertere iussi sunt; qui post statutam diem in Laconica inventi essent, captivorum instar venirent.

Tegeae mox Achaeorum concilio habito, ubi illos et mercenarios dimisso reicta Sparta dispersos per agros vagari nuntiatum, stratego mandatum est, ut, cum expeditis profectus, palantes illos coriperet; tria igitur millia capta sunt ac vendita ¹⁾. Ex pretio inde redacto Philopoemen consentientibus Achaeis porticum ²⁾ Megalopoli, antea a Lacedaemoniis eversam, reficiendam curavit ³⁾.

rem angere videtur, nam licet diu Spartiarum respublica Lycurgi legibus floruisse, mores eo tempore adeo erant depravati, ut instituta illa iam parvi momenti essent. Cf. Hertzberg, l. l. pg. 102.

¹⁾ Aliter, sed, me iudice, minus recte Plut. l. l.: ὅτοι δὲ ἦσαν ὑπὸ τῶν τυράννων ἀποδεσμένοι πολίται τῆς Σπάρτης, μετώκησεν ἄπαντας ἀπάγων εἰς Ἀχαίαν πλὴν τρισχιλίων τούτους δὲ ἀπειθοῦντας καὶ μη βουλομένους ἀπελθεῖν ἐκ τῆς Λακεδαιμονίου ἐπώλησεν.

²⁾ Erat illa porticus, quae στοά Μυρόπωλις dicebatur. Pausan. VIII, 30, 3. Megalopolitac post victoriam de Acrotato, Arei filio, rege Spartiarum (265) reportatam, de praeda eam exstruxerant. Cleomenes vero capta Megalopoli (222) cladis illius monumentum diruerat. Cf. Schorn, l. l. pg. 306.

³⁾ Verba quae addit Plutarchus: οὗτον ἐφυβρίζειν, ut infra de sublata Lycurgi disciplina: ἐμπιπλάμενος δὲ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ παρ’ ἀξέστην πεπονχότιν ἐπεμβαίνων τὸ περὶ τὴν πολιτείαν ἔργου ὠρίστατο εἴξιργάσατο καὶ παρκυρώτατο, satis us-

Praeterea ager Belbinites ¹⁾, Megalopolitanis a Lacedaemoniorum tyrannis ademptus, redditus illis est.

Harum autem omnium rerum Lacedaemonii nullam aequa moleste tulerunt, atque exsules ab Achaeis restitui.

Brevi post Achaeos sua temeritas, quod, irae indulgentes, Lacedaemoniorum reipublicae tam duras conditiones imposuissent, molestis negotiis, ipsorum libertati valde nocituri, implicuit. Neque fieri potuit, quin ipsum Philopoemenem ²⁾, quae in Spartiatas egisset, sedato animo reputantem, suae imprudentiae poeniteret, quod tantum Romanis locum dedit nocendi rebus Achaeorum. Ac praevidens, senatum, uti solebat, quoties suis commodis inserviret, oppressorum causam in se suscepturum esse, ne Romani foederis iura laederent, exterorum populorum regumque amicitiam Achaeis conciliando prohibere studuit. Foedus igitur cum Syrorum rege est initum, confirmataque cum Aegypti ac Pergami regibus Rhodiisque amicitia.

Quanti autem horum auxilium faciendum esset, Philopoemenem diu latere non potuit. Aegyptiorum enim vires fractae, debilitatae Syrorum erant, rex

tendunt, eum in his rebus describendis Aristocratem, non vero Polybium, secutum esse. Cf. enim Polyb. XXI, 17, 1. 2.

¹⁾ De forma huius vocis cf. Interpr. ad Liv. XXXVIII, 34.

²⁾ Polybius (XXI, 17, 1. 2.), res a Philopoemene Lacedaemonie gestas laudans, nimio popularis sui studio abreptus videtur.

Pergamenus ex arbitrio pendebat senatus, Rhodiorum quoque opes labi cooperant, postquam Romani Syriae partem iis cesserunt.

Inde explicanda negligentia, qua in foedere cum Aegypti rege renovando usus est Philopoemen ¹⁾. Quum enim anno 186 septimum strategia fungeretur, ac Ptolemaeus Epiphanes, missa legatione, cuius princeps Demetrius Atheniensis erat, amicitiam cum Achaeis confirmare se velle declararet, Lycortae, qui tertius ipse legatus, ad iusiurandum regi dandum ab eoque accipiendum Alexandriam missus est ²⁾, Philopoemen universe mandavit, ut societatem cum rege Aegypti renovaret, nullius foederis diserta mentione facta, quamvis plura, eaque pro temporum conditione valde diversa, foedera icta essent. Postquam igitur hi legati, postero anno Aristaeno stratego reversi, Megalopoli in Achaeorum conventum introducti sunt, progressusque in medium Lycortas cum ceteris legatis, quoniam modo et dedissent Achaeorum nomine et acceperissent ad sanciendum foedus iusiurandum, exposuit, surgens Aristaenus strategus et e Ptolemaei legato et ex iis, qui ab Achaeis ad renovandum foedus missi erant, quae sivit, quale foedus ille renovaturus

¹⁾ Cf. Schorn l. l. pag. 307.

²⁾ Polyb. XXIII, 1, 5. 6.

venisset. Nemine autem respondentे, sed omnibus sese invicem interrogantibus, quotquot in concilio aderant incerti haerebant. Scire igitur quum cuperet multitudo, quale foedus renovasset, neque Philopoemen, neque Lycortas ceteri legati eius rei rationem reddere potuerunt. Decretum igitur illud Aristaenus strategus ratum haberi non sivit, sed rem in aliud tempus deferri iussit ¹⁾.

Anno 185 Romanorum legati in Peloponnesum venerunt, qui rerum Lacedaemone gestarum rationes ab Achaeis peterent. Quum enim hi civitatis illius vires fregissent, primo senatus silentium obtinuit, exspectans dum rerum mutationis cupidi auxilium suum implorarent. Neque multo post Lacedaemoniorum non nulli, indigne rerum statum ferentes, Romam profecti Philopoemenem criminati sunt in rempublicam Spartanam saeviisse, tandemque a M. Acemilio Lepido consule literas ad Achaeos impetrarunt, qui Achaeis scripsit, se iudice, eos non recte Lacedaemoniorum res administrasse.

Quibus legatis Romae degentibus, eodem statim Philopoemen legationem misit, ad quam obeundam Nicodemum Eleum cum paucis aliis delegerat ²⁾. His

¹⁾ l. l. 9, 1—12.

²⁾ l. l. 1, 1—4.

autem anno 185 Aristaeno stratego reversis, Nicodemus Megalopoli in Achaeorum conventu, et quomodo in senatu Romano de Lacedaemoniorum republica verba fecisset Achaeis exposuit, et senatus responsum legit, ex quo effici poterat, aegre quidem ferre scenatum et murorum Spartae demolitionem et caedem eorum, qui Compasii trucidati erant; verum nihil irritum facere¹⁾). Postea vero, quo tempore celebrabantur Nemeorum solennia, venit Q. Caecilius Metellus, rediens ex Macedonia a legatione, quam ad Philippum obierat, Peloponnesum quoque adire iussus.

Achaeorum igitur magistratibus ab Aristaeno stratego Argos cactis, ingressus Metellus statim vituperans dixit, eos aequo gravius et acerbius statuisse de Lacedaemoniis, et pluribus hortatus est, ut culpam contractam delerent. Atque Aristaenus quidem strategus silentium tenuit, eo ipso, quod taceret, declarans, se aegre ferre ea, quae Lacedaemone gesta erant, et, quae Metellus dixerat, comprobare. Diophanes vero Megalopolitanus, ad dicendum surgens, non solum non purgavit Achaeos, sed etiam, propter contentionem, quam cum Philopoemene habebat, aliud insuper Achaeorum crimen Metello monstravit. Dixit enim a Philopoemene

¹⁾ l. l. 7, 5. 6.

non solum Lacedaemoniorum verum etiam Messeniorum res prave esse administratas.

Itaque Metellus, quum vel ipsorum Achaeorum non nullos cum eo consentire appareret, eo aegrius tulit, conventum iis, quae ipse hortabatur, non libenter obtemperare. Postquam vero Philopoemen et Lycortas, atque una cum his Archo Aegirates, multas et varias orationes dixerunt, ut probarent, optime ea, quae ad Spartam pertinerent, ordinata esse, atque ex ipsorum imprimis Lacedaemoniorum utilitate: neque posse quicquam eorum, quae constituta essent, irritum reddi, quin omnia humana divinaque iura violarentur, conventui placuit in decretis manere, et in hanc sententiam legato dare responsum. Metellus autem, cognito horum decreto, postulavit, ut multitudinem sibi in concilium cogerent. Achaeorum vero magistratus eum rogarunt, ut scripta mandata proferret, quae de his rebus a senatu haberet. Illo autem tacente, negarunt, se ei concilium coacturos esse, leges enim id prohibere. Quo auditio Metellus tantopere iracundia exarsit, ut ne responsum quidem a magistratibus accipere voluerit, sed sine responso abierit¹⁾.

Romam reversus apud senatum Philopoemenem ac Lycortam criminatus est, et universe Achaeos atque

¹⁾ l. l. 10, 1—13.

administrandi rationem, qua usi erant in Lacedaemoniorum republica ordinanda ¹⁾). Eius quoque opera factum est, ut Achaei molestioribus etiam negotiis impli-carentur, quum alios Lacedaemonios rerum novarum studiosos incitaret, ut querelas ad senatum deferrent. Hoc consilio Areus et Alcibiades Spartiatae Romam venerunt; hi autem ex veteribus erant exsulibus, qui a Philopoemene et Achaeis nuper in patriam reducti erant. Quae res vel maxime Achaeos exacerbavit, quod, quum magnum esset et recens ipsorum erga exsules beneficium, adeo ingratos hos continuo in Achaeos existisse appareret, ut, missa legatione, eos, qui ipsos practer spem servassent et in patriam reduxissent, apud senatum criminarentur ²⁾.

Achaei etiam legatum miserant Apollonidam Sicyonium, causam concilii Metello negati senatui expostitum eumque universe de rebus in Laconica gestis edoceturum ³⁾. Postquam autem Apollonidas et Areus causam suam adversus se invicem defenderunt, et hinc Apollonidas senatum docere conatus est, res Spartae omnino non melius administrari potuisse, quam iam administratae essent ab Achaeis et Philopoemene, hinc Areus contrarium probare

¹⁾ l. l. 12, 8.

²⁾ l. l. 11, 7. 8.

³⁾ l. l. 11, 5. 6.

studuit, dixitque, primum reipublicae potestatem fractam esse, expulsa per vim multitudine, tum autem rempublicam labefactatam et servientem sibi esse relictam: nimirum labefactatam, quod pauci iisque moenibus destituti superessent incolae, servientem vero, quoniam ipsa non solum publicis Achaeorum decretis parere, sed etiam privatim magistratibus eorum semper dicto audiens esse deberet: senatus his auditis decrevit, ut legati de his rebus in Peloponnesum mittentur. Itaque Achaeis senatus responsum dedit, misurum se, qui in res in Laconica gestas inquirerent. Denuo igitur legati in Graeciam profecti sunt, quorum iam princeps Appius Claudius fuit¹⁾.

Quorum adventus quandoquidem in Peloponneso expectabatur, Lycortas strategus, ut adversus eos Achaei praeparata consilia haberent, concilium convocavit. Ibi quum de Lacedaemoniis ageretur, Achaei, irae indulgentes, Areum et Alcibiadem, tamquam patriae proditores, capitis damnarunt (185).

Nec multis diebus post Appius Claudius cum ceteris legatis advenit, quibus Clitore in Arcadia concilium datum est.

„Priusquam agerent quicquam”, ait Livius²⁾,

¹⁾ l. l. 12, 1—4. 9.

²⁾ XXXIX, 36.

„terror Achaeis iniectus erat et cogitatio, quam non ex aequo disceptatio futura esset, quod Areum et Alcibiadem, capitis a se in concilio proximo damnatos, cum legatis videbant; nec hiscere quisquam audebat. Appius ca, quae apud senatum questi erant Lacedaemonii, displicere senatui ostendit. Ly cortas, et quia praetor et quia Philopoemenis, auctoris omnium quac Lacedaemonie acta fuerant, factionis erat, respondit.”

Primum res in Laconica gestas singillatim defendit, tum negavit Romanis ius competere rationes exigendi ab Achaeis, quippe quorum libera esset res publica.

„Cum assensu maximaee partis est auditus ¹⁾, et locutum omnes pro maiestate magistratus censebant, ut facile appareret, molliter agendo dignitatem suam tenere Romanos non posse. Tum Appius suadere se magnopere Achaeis dixit, ut, dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inviti et coacti facerent. Haec vox audita quidem cum omnium gemitu est, sed metum iniecit imperata recusandi. Id modo petierunt, ut Romani, quae viderentur, de Lacedaemoniis mutarent, nec Achaeos religione obstringerent, irrita ea, quac iureiurando sanxissent, faciendi.”

Liberis, quae a senatu habebat, mandatis Appius Claudius tantum usus est ad damnationem Arei et Al-

¹⁾ I. I. 37.

cibiadis tollendam. De ceteris rebus Romae cognosceret ac decerneret ipse senatus, quo igitur iam omnes, quos Philopoemen morte exsiliove multarat, ad causam suam dicendam profecti sunt (184).

His in senatum introductis, „multae et parvae disceptationes iactabantur; sed, quae maxime rem continerent, erant: utrum restitucentur quos Achaei damnaverant, necne; inique, an iure occidissent, quos occiderant, vertebatur, et, utrum manerent in Achaico concilio Lacedaemonii, an, ut ante fuerat, secretum eius unius in Peloponneso civitatis ius esset.”¹⁾

Triumviri hisce controversiis componendis a senatu creati sunt T. Quinctius Flamininus, Q. Caecilius Metellus, Appius Claudius, qui iam antea legati Achaeorum Lacedaemoniorumque rebus operam dederant.²⁾ Hi exsules reduci iusserunt damnationesque rescindi; porro Lacedaemonios Achaici foederis legibus parere, scriptaque mandatum deeretur illud et a Lacedaemoniis et ab Achaeis confirmari. Senatus moenia reficiendi potestatem Lacedaemoniis fecit legesque Lycurgi restituit, et iurisdictionem de Lacedaemoniis in causis capitalibus Achaeis ademit.³⁾

¹⁾ I. l. 48.

²⁾ Polyb. XXIV, 4, 7 sqq.

³⁾ Pausan. VII, 9, 3. 4; 12, 2. VIII, 51, 1.

C A P U T IV.

Philopoemenis tristis vitae exitus. (183.)

Brovii post Messenae seditio exarsit, quae Achaeorum rempublicam in summas angustias adduxit. Non a plebe tumultus conflatus est sed ab optimatibus, quorum factio primas in civitate agebat, quum Messenii suis adhuc legibus utebantur. Haec frustra prohibere conata quominus Messenia Achaeo concilio adscriberetur, crebros deinde motus excitarat, quibus Philopoemen anno 189 finem imposuit, sublata, qua plebs admodum vexabatur, paucorum dominatione. Optimates, iram suam dissimulantes, recuperandae auctoritatis occasionem exspectabant; quam iam adesse putarunt, quum Diophanes, Philopoe-meni infensus, in Achaeorum concilio ea, quae hic in Mes-senios egerat, vituperasset. Id quoque iis res novas

moliendi animum addidit, quod Romanorum intercessione Lacedaemoniis irrita reddere contigisset Achaeorum decreta. Coniurationis dux Dinocrates fuit, qui sperabat fore ut optimatum factionis ope Messenae principatum obtineret.

Anno 184 iste, factionis suae orator Romam profectus, ibi in T. Quinctium Flamininum, cui legatio ad Prusiam et ad Seleucum a senatu erat mandata, incidit; quo magnopere gavisus est, Flamininum et propter amicitiam, quae ipsi cum eo intercedebat, quod belli Laconici tempore eiusdem convictu usus esset, et propter simultates, quas ille cum Philopoemene exercebat, simul atque in Graeciam advenisset, res Messeniorum omnes ex ipsius sententia administraturum existimans. Quam ob rem a legato Romano non discessit et in hoc spem omnem posuit.

In Gracciam quoque Flamininum comitatus est, non dubitans, quin e vestigio res Messeniorum ex sua voluntate componerentur. Philopoemen vero, anno 183 octavum strategus, qui plane cognoverat, de rebus Graecis Flamininum nullum mandatum habere a senatu, adventum eius exspectans, interea quievit. Postquam autem legatus, Naupactum appulsus, strategum et demiurgos Achaeorum literis iussit concilium populi cogere, hi rescripserunt ei, se hoc facturos esse, si significasset, quibus de rebus cum Achaeis agere cu-

peret, leges enim hoc magistratibus imperare. Flaminino vero id significare non auso Dinoeratis exspectatio ad irritum cecidit.¹⁾

Neque tamen hic ab incepto destitit, sed iam consilium suum vi exsequi statuit. Messenen reversus, collectis suis fautoribus, plebem oppressit Achaeisque societate renunciata, suo arbitrio Messeniorum res administrare coepit. Fuerunt tamen Messeniae loca, quae in foedere cum Achaeis manerent.

Philopoemen strategus, septuagesimum iam agens annum, Argis ardentis febri laborabat. Ubi vero Messenen defecisse ei nuntiatum est, statim Lycortam cum copiis eo praemisit. Ipse, tumultus quam primum comprimendi cupiditate flagrans, tertio post die, licet valetudine nondum plane integra esset, eum sequi contendit, confectisq[ue] uno die plus quadringentis stadiis Megalopolin pervenit²⁾. Inde, equitibus et peltatis circiter sexaginta assumtis, continuo auxilium tulit. Erant autem equites illi civium nobilissimi, sed admodum iuvenes, qui, caritate Philopoemenis et aemulatione ducti, voluntarii cum eo militabant.

Quum ad Messeniorum fines accederet, quae Lycortas gessisset explorare neglexit, illumque, quum Di-

¹⁾ Polyb. XXIV, 5, 1—3. 14—18.

²⁾ Plut. l. l. 18. Polyb. l. l. 8 c. Pausan. VIII, 51, 2. 3.

nocrates fauces inter Arcadiam et Messeniam occupasset, re infecta revertisse ignorans, hostium terram invasit.

Fervidum ingenium Philopoemeni exitio fuit ¹⁾. Ut primum Dinocratem Coronen ²⁾ petere audivit, praecoccupare illum locum cupiens, citatim per vallem iniquam duxit ³⁾. Circa Euandri, qui dicebatur, collem cum Dinocrate obviam facto concurrebant eiusque quidem manum in fugam converterunt, sed quum quingenti milites, qui Messeniorum fines in vicinia custodiebant, subito impetum facerent, iisque, qui modo devicti erant, conspectis illis, rursus in collibus se colligerent, metuens Philopoemen ne circumveniretur, et equitibus suis parcens, per loca iniqua recedebat, ipse agmen cogens ac saepe in hostes irrumpens hosque omnino in se convertens, qui cum eo congregari non audebant, sed clamorem tollentes modo incurando modo refugiendo eminus eum lacescebant. Saepe igitur, ut iuvenes illos protegeret, consistens singulosque in locum tutum deducens, imprudens magno hostium numero cinctus est. Ac nullus quidem eorum manus cum eo con-

¹⁾ Plut. Compar. Philop. c. Flam. 1.

²⁾ vel Colonen. Plut. Phil. 18. Parvo intervallo haec loca inter se distabant. Pausan. IV, 34.

³⁾ Liv. XXXIX, 49.

serere ausus est, eminus vero petitus et ad loca saxosa et praecipitia adactus, Philopoemen equum vix regere potuit. Praeterea corpore tunc et ob infirmitatem languente et itinere defatigato, equus vestigio falsus eum in terram deiecit. Quum autem gravis esset eius casus, laeso capite, aliquamdiu sine voce iacuit, ita ut hostes mortuum esse existimantes, eum etiam spoliare aggressi sint. Postquam vero sublato capite dispexit, confertim circumfusi manus eius post tergum retorserunt, et ita vinctum abduxerunt, magna insolentia et contumelia adversus eum utentes ¹⁾.

Huius rei nuntius, Messenen perlatus, primum incredibilis visus est, tandem vero, pluribus deinceps idem affirmantibus, facta fides, et ad portam omnes, ut Philopoemenem viderent, confluxerunt ²⁾. Aegre igitur milites turbam summoventes cum illo urbem intrare potuerunt. Quumque omnis multitudo spectaculo frui cuperet, in theatrum, quod prope portam erat, irruerunt, Philopoemen ut universo populo ostenderetur magno clamore poscentes. Optimates, defectio-

¹⁾ Plut. I. l. 18. Haec narratio multo probabilior videtur quam Liviana XXXIX, 49: „iacentem hostes superfusi oppresserunt, cognitumque primum a verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque.” Cf. Pausan. IV, 29, 5.

²⁾ Plut. I. l. 19.

nis auctores, metuentes, ne ob tanti viri praesentis misericordiam et recordationem eius meritorum, quod, expulso Nabide tyranno, ipsos in libertatem restituisset, motus plebis fieret,¹⁾ paulisper tantum cum multitudinis aspectui exposuerunt, tum simulante Dino-
crate, magistratus quaedam de rebus bellicis ex eo quacrerere cupere, in senatum introductus est. Quum vero iam invesperasceret antequam quicquam de eo statuissent, in carcerem eum demiserunt, advoluteque saxo, viros armatos circum collocarunt. Erat enim carcer ille locus sub terra, qui Θησαυρὸς²⁾ dicebatur, neque aëra nec lumen extrinsecus admittens, quique fores non habebat sed magno saxo advoluto occlude-
batur^{3).}

Postridic multitudo ob summa, quibus Messenios affecisset, beneficia parcere ei iussit, defectionis vero auctores, quorum factio in republica plus pollebat, clam inter se deliberantes cuncti interficiendum eum sta-
tuerunt; quumque metuerent, ne, si legatos Achaei ad eum exposcendum misissent, plebs eum invitis opti-
matibus liberaret, continuo venenum ei porrigendum curarunt^{4).}

¹⁾ Cf. Plut. I. l.

²⁾ Cf. Welcker, *Rhein. Mus.* 1833, pg. 469.

³⁾ Plut. I. l. Cf. Liv. I. l. 50.

⁴⁾ Plut. I. l. 20 parum accurate haec narrat. Dicit enim, Philo-

Philopoemēn tum forte in lacerna decumbebat, non somno stratus, sed moerore et animi motu oppressus; conspectis autem lumine et homine, qui cum venenato potu iuxta adstabat, aegre ob infirmitatem se colligens, assedit. Accepto poculo hominem rogavit: „Ecquid de Achaicis equitibus et praecipue de Lycorta comperisset.” Qui quum omnes incolumes effugisse respondisset: *Ἐνδέξεις, inquit, εἰ μὴ πάντα κακῶς πεπράχαμεν*, tum statim intrepide exhausto poculo, brevi animum efflavit¹⁾.

Achaeorum autem equites, quum ex fuga sese collegissent, neque usquam Philopoemenem conspicerent, eum, postquam diu inclamarunt, mortuum esse rati sunt. Deinde sibi exprobrantes, quod strategum, qui pro ipsis vitam profudisset, hostibus proiccissent, una progressi sunt. Quam primum vero percunctando venisse illum in hostium potestatem intellexerant; ad Achaeorum civitates eius rei nuntium disperserunt. Et Achaei quidem reposcere illum a Messeniis missa legatione statuentes, simul bellum pararunt²⁾.

Ut vero necis nuntius ad illos perlatus est, publicus

poeimenem nocte, quac diem, quo captus est, exceptit, interemptum esse, idque uno Dinocrate auctore factum. Cf. Pausan. VIII, 51, 3.

¹⁾ Plut. I. l. Liv. I. l. Iustin. XXXII, 1, Cf. Polyb. XXIV, 9, 1. Diod. XXIX, 18.

²⁾ Plut. I. l. 19.

luctus et moeror eorum civitates occuparunt. Ipsi, Achaeo concilio Megalopolin convocato, Lycontam, superioris anni strategum, uti lex imperabat, in Philopoemenis locum suffecerunt, statimque Messeniam invaserunt¹⁾.

Eodem fere tempore Q. Marcius Philippus, qui legationem ad Philippum regem obierat, in Peloponnesum venit, pacemque inter Achaeos et Messenios conciliare studuit. Illi vero Philopoemenis necem ulcisci cupientes legati intercessionem spreverunt²⁾.

Quum tamen Messenii arce munitissima se tutarentur et subsidiis a Romanis adiuvarentur, Achaeis bellum non statim prospere cessit³⁾. Cladibus adeo affecti fuisse videntur. Nam anno 182 legatos ad senatum miserunt petituros, ut Romani e foedere copias adversus Messenios mitterent, saltem ne arma ac comeatum his ex Italia subvehi sinerent. Senatus inquam Achaeorum conditionem in rem suam convertere cupiens, responsum dedit, se ne tum quidem, si Lacedaemonii etiam, Argivi Corinthiive ab Achaeis defecissent, auxilium hisce laturum esse: tamquam hortans socios illos, ut Messeniorum imitarentur exemplum⁴⁾.

Postea vero Achaei in bello superiores evaserunt.

¹⁾ l. l. 21.

²⁾ Polyb. XXIV, 10, 8.

³⁾ Pausan. VIII, 51, 3.

⁴⁾ Polyb. l. l. 10, 12 sqq.

Ut Messenios commeatu intercluderent, agros urbi circumiacentes prorsus devastarunt. Tum Lycortas, qui eo quoque anno strategia fungebatur, Messenen oppugnare aggressus est, quam urbem optimates, de vita dimicantes, summa virium intentione defenderunt. Tandem vero, auctunno anni 181, Messeniis antea formidine magistratum cohibitis, vix iam eorum nonnulli, hostium vicinia erecti, vocem liberam mittere ausi sunt, et dicere, legatos de reconciliatione mittendos esse. Ac Dinocrates quidem, quum non amplius plebi resistere posset, temporum necessitati cedens, in suas aedes se recepit sibique, ne in Achaeorum veniret potestatem, mortem concivit ¹⁾.

Plebs vero, hortantibus tum senioribus tum praecipue Boeotorum legatis, qui iam antea ad conciliandam pacem venerant, legationem misit, quae peteret, ut delictorum venia Messeniis daretur.

Achaeorum autem strategus, auditis legatis votisque in consilium magistratibus, hac una tantum ratione Messenios pacem ab Achaeorum gente impetrare posse dixit, si defectionis et Philopoemenis necis auctores sibi traderent, de ceteris autem omnibus liberum Achaeis arbitrium permitterent, statimque

¹⁾ Plut. l. l.

in arcem praesidium reciperent. Quibus plebi renuntiatis, haec et iam diu in belli auctores exacerbata, eos comprehendere et dedere parata erat, et nulla se ab Achacis poena affectum iri confisa, ad conditionem, ut omnium rerum arbitrium illis permitteretur, lukebenter accessit. Quod vero maxime rem continebat, optandi facultate in praesentia destituta, conditiones oblatas communi consensu accepit. Atque arcem quidem quum statim in dditionem accepisset Achaeorum strategus, cetratos in eam induxit urbemque mox cum parte aliqua copiarum intravit. Tum autem eorum, qui in noxa erant, quotquot auctores fuerant, ut Philopoemen continuo de medio tolleretur, eos omnes ut quam primum vita privarent Messeniis imperavit, quotquot cruciandum etiam Philopoemenem censuerant, eos tormentis necandos corripuit ¹⁾.

Finito bello nihil antiquius habuerunt Achaei quam ut Philopoemeni iusta facerent. Corpore illius Messenae combusto, reliquias in urnam conditas domum reportarunt, mixta quadam cum exsequiis pompa triumphali. Coronis redimiti hostes vinctos ducebant. Urnam, vittis et coronis exornatam, Polybius Lycotac strategi Achaeorum filius ferebat, comitantibus Achaeorum primoribus. Milites armati equis ornatis

¹⁾ Polyb. XXIV, 12. Cf. XXV, 3. XXVI, 2. Plut. I.I. Cf. 19.

insidentes sequebantur. Ex oppidis et pagis inter Messenen et Megalopolin interiectis obviam effusi urnam contrectabant et Megalopolin usque prosequerentur. Quum autem pompa urbem ingrediebatur senioresque cum mulieribus et pueris sc adiunxerant, ingens comploratio ob tanti viri desiderium totam incessit multitudinem. Ac honorifico quidem ille, ut parerat, funere est elatus, et iuxta eius mōnumentum Messeniorum captivi lapidibus sunt cooperti ¹⁾.

Practer ea, quae in eius honorem a gente Achaeorum publice decreta sunt, cives etiam, ut quotannis tauro ei fieret, sanxerunt ²⁾ laudesque rerum eius gestarum carminibus ab adolescentibus celebrari iussserunt ³⁾.

Omnis, quae Philopocemi numero multae positae erant, statuas Romanus aliquis in naufragio illo Graeciae Corinthiaco auferre aggressus est ipsumque tamquam adhuc vivum persecui, quod Romanis hostis infensus fuisse testatur. Sed orationibus habitis, quum

¹⁾ Plut. l. l. 21. Cf. Pausan. l. l.

²⁾ Inscriptio, in Megalopolis ruderibus inventa, quao exstat apud Böckh. C. Inscr., I, Inscr. 1536, Ross. Inscriptt. graec. ined. fasc. I, Nauplia 1834, Inscr. 12, secundum Keilium Analecta epigraph., Lips. 1842, pg. 9—39 divinos a civibus in Philopocmenem honores collatos fuisse testatur. Cf. Neue Jahrb. für Phil. und Paedag. XXXVI, 3.

³⁾ Diod. XXIX, 18.

calumniatorem istum refellisset Polybius, nec Mummius nec legati clari viri honores abolere sustinuerunt ¹⁾.

Polybius enim pluribus docere conatus est, Philopoemenem saepe quidem Romanorum imperatis adversatum esse, sed hactenus tantum, ut in rebus controversis quae sibi videbantur proponeret et suaderet; neque id inconsiderate fecisse: certam autem eum voluntatis significationem dedisse, et quasi igni specratam Romanis benevolentiam praestitisse, quo tempore hi cum Philippo, quoque cum Antiocho, bellum gererent: summam enim inter Graecos auctoritatem tunc habentem, et ob suam et ob Achaeorum potentiam, sincera fide illum amicitiam erga Romanos servasse: auctorem adeo exstitisse Achaeis decreti illius, quo ante Romanorum traiectum, ceteris Graecis propemodum omnibus a Romanorum partibus abalienatis, praeceperunt, ut Antiocho atque Aetolis bellum ultiro inferretur. Itaque his auditis decem legati concesserunt, ut honores Philopoemeni decreti in omnibus urbibus permanerent. Qua opportunitate usus Polybius, Philopocmenis statuas, licet iam e Peloponneso in Acarnaniam transportatas, a Mummio repetiit ²⁾.

¹⁾ Plut. I. I.

²⁾ Polyb. XL, 8, 4—10.

Pausaniae adhuc aetate Philopoemenis memoria apud populares maxime inviolata servabatur. Eo quoque tempore Tegeae in theatro basis aeneae statuae supererat, in qua incisi elegi statuam illam Philopoemenis fuisse testabantur. Inscriptio enim erat haecce:

*Tοῦδ' ἀρετὰ παιὶ δόξα παθ' Ἑλλάδα, πολλὰ μὲν ἀλκαῖς,
Πολλὰ δὲ παιὶ βουλαῖς ἔργα πονησαμένου,
Ἄριάδος αἰχμῆτα Φιλοποίμενος ὡς μέγα πῦδος
Ἐσπετ' ἐνὶ πτολέμῳ, δούρατος ἀγεμόνι.
Μανύει δέ τρόπαια τετυγμένα δισσὰ τυράννων
Σπάρτας αὐξομέναν δ' ἄρατο δουλοσύναν.
Ων ἔνεκεν Τεγέα μεγαλόφρονα Κρανγιδος νιὸν
Στᾶσεν ἀμωμῆτον κράντορ ἐλευθερίας.* ¹⁾

¹⁾ Pausan. VIII, 49, 1; 52, 3. Cf. Anth. Palat. ed. I. de Bosch T. II p. 26, ubi haec legitur H. Grotii versio:

Hic, cuius celebrat virtutem Graecia, multa
Consilio fecit maxima, multa manu,
An terra genitus Philopoemen Arcade, belli
Gloria quem semper summa secuta ducem?
Hoc monstrant domitis bis fixa trophya tyrannis,
Dum properat nascens pellere servitium.
Huius terra memor dedit et de Craugide natum,
Tutantem simili libera iura fide.

IUDICIUM DE PHILOPOEMENE.

Si quaerimus, quibus virtutibus Philopoemen insignis fuerit, tam ex veterum narrationibus quam ex ipsis factis dictisque apparet, illum misero, quem habuit, vitae exitu omnium suae aetatis Graecorum minime dignum fuisse.

Licet enim animi fervore abreptus nonnulla imprudentius egerit, perpetuum tamen ei fuit virtutis studium. Multis animi virtutibus excellebat, probitate, integritate, continentia, fortitudine, aliis. Erat et in iunctu diligens, et in vestitu simplex¹⁾, accepta hae a praceptoribus suis sententia, non posse eum reipublicae recte praeesse, qui in privata vita esset negligens, neque a peculatu abstinere, qui pro rei familia-

¹⁾ Polyb. X, 25, 5.

ris redditu sumptuosius viveret. Praeterea et in corporis cultu et in convictu quoque facilis erat et probus.

Comitas eius et simplicitas Plutarchi adhuc aetate in omnium ore erant ¹⁾. Eo vero per totam vitam summum studium contulit, ut vera loqueretur. Quapropter, si vel pauca verba, eaque velut temere, proferret, omnino audientibus fidem faciebat. Omnibus enim in rebus suam ipse vitam tamquam exemplum proponens, efficiebat, ut verba audientes non multa requirerent. Quocirca orationes adversariorum in republica non tantum longas sed etiam ad persuadendum efficacissimas saepe, ob fidem et rerum gestarum existimationem, paucis ipse sententiis funditus evertit ²⁾.

Quam alto animo divitias sperneret, satis ostendit quum Spartiatae, domo et facultatibus Nabidis tyronni venditis centumque ac vigenti talentis inde coactis, Philopoemeni eam pecuniam dono dare vellent, ille vero accipere constanter abnueret. ³⁾

Ab otio alienus erat, imperatoriam bellicamque virtutem continenter probare atque augere cu-

¹⁾ Plat. l. l. 2.

²⁾ Polyb. XI, 10, 3—6.

³⁾ Plat. l. l. 15.

piens¹⁾. Quo tempore²⁾ Romani bellum contra Antiochum in Graecia gerebant, privatus vivebat Philopoemen, animadvertisens vero, Antiochum ipsum Chalcide residem nuptiis celebrandis practer aetatem vacare, Syros autem sine ulla disciplina et imperio per urbes palari et in luxuriam effundi, aegre tulit, se non eo tempore strategum esse Achaeorum, Romanisque invidere se victoriam dixit. „Ego enim,” inquit, „si strategus essem, istos omnes in lustris conciderem.”³⁾ Quin, uti vidimus, privatus quoque res bellicas gessit.

Rebus tamen feliciter gestis elatus, interdum de aliis fortuna minus secunda usis iniquum iudicium ferebat. Paucis tantum diebus antequam a Messeniis captus est, in consessu quodam, ubi quis a praesentibus egregii ducis nomine ornabatur: „Quomodo hic,” ait, „memoratu dignus esse potest, qui vivus ab hostibus captus sit?”⁴⁾

Universe autem, qui res militares negligerent, eos tamquam nihil agentes contemnebat. „Εοινε γάρ, ait Plutarchus, οὗτος ἀνὴρ περαιτέρω τῆς ἀνάγκης

¹⁾ Plut. I. l. 13. Cf. Polyb. XXIII, 1, 7—9.

²⁾ Anno 192.

³⁾ Plut. I. l. 17.

⁴⁾ I. l. 18. Pausan. VIII, 51, 2.

έμφιλον αλῆσαι τοῖς στρατιωτικοῖς καὶ τὸν πόλεμον ὡς ποικιλωτάτην ὑπόθεσιν τῆς ἀρετῆς ἀσπάσασθαι ¹⁾).

Insita autem ei ambitio haud erat omnino a pervicacia pura neque ab iracundia libera, quin ob nimiam animi elationem superioribus semper quodammodo adversabatur atque acumulabatur ²⁾.

Licet vero totam vitam ita instituere conaretur, ut Epaminondae tam ingenium quam res gestas aemularetur, non in omnibus illum aequare potuit: alacritatem eius, sollertia et pecuniae contemptum egregie imitatus est; quum autem lenitatem, gravitatem humanitatemque in dissensionibus civilibus retinere non posset, propter iracundiam et pervicaciam ad militarem quam ad civilem virtutem accommodatior esse videbatur ³⁾.

Quod ad Philopoemenis erga foedus Achaicum merita attinet, concordiae Peloponnesiorum auctor quidem habendus est Aratus Sicyonius, promovit autem illam ac tandem stabilivit Philopoemen ⁴⁾. Aratus enim primus rem publicam Achaeorum ad dignitatem et potentiam evexit, attamen quamdiu hic vixit, quia ad bellica certamina segnior erat, Macedonum, quos

¹⁾ l. l. 4.

²⁾ l. l. 17.

³⁾ l. l. 3. Pausan. l. l. 49, 2.

⁴⁾ Polyb. II, 40, 2.

primum invocaverat, armis pleraque committebantur, qui igitur omnibus Graecorum negotiis arctissime impliciti erant; Philopoemen vero egregius belli dux proeliisque felix Achaeorum spiritus auxit, quumque eos secum vincere assuefisset, peregrinis ducibus uti desierunt; quin etiam Achaeorum milites in pugnis et periculis, alio strategia fungente, animum despondebant et Philopoemenem respiciebant, eo vero imperium suspiciente, ob summam, quam ei habebant, fidem statim bono atque alaci animo erant¹⁾), quippe etiam sentientes, adversarios uni huic duci resistere non posse, sed et existimationem eius et nomen reformidare.

Quamquam autem Philopoemen per quadraginta annos in populari reipublicae statu cum gloria versatus est²⁾, multitudinis tamen invidiam omnino effugit, etsi non ad gratiam fere, sed cum libertate res administrans³⁾.

Quanta virtutis rerumque gestarum fama Philopoemen antiquitus, etiam extra Graeciam, floruerit, satis appareat ex Livii⁴⁾ verbis: „Ab scriptoribus rerum Graecis Latinisque tantum huic viro tribuitur, ut a quibusdam eorum⁵⁾ velut ad insignem notam

¹⁾ Plut. l. l. 8. 12.

²⁾ Diod. XXIX, 18.

³⁾ Polyb. XXIV, 9, 3. 4.

⁴⁾ XXXIX, 50. Cf. Iustin. XXXII, 4.

⁵⁾ Polybium et Rutilium Rufum significat. Cf. Nissen l. l. p. 41 sq., 51 sq., 232 sq. Schorn l. l. p. 318.

huius anni memoriae mandatum sit, tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, P. Scipionem; adeo in aequo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt."

Quin a Romano quodam „ultimus Graecorum” appellatus est, quum post eum Graecia nullum amplius magnum seque ipsa dignum virum protulisset¹).

Itaque apud ipsos adeo Romanos, quibus non paucis in rebus adversatus esset, magno in honore fuit²).

¹) Plut. I. I. 1. Arat. 24. Cf. Pausan. VIII, 52, 1. 2.

²) Plut. I. I. 21. Diod. I. I.

160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

QUAESTIONES.

I.

Merito Philopoemen ultimus Graecorum appellatus est.

II.

Quae a Doct. Schorn (*Gesch. Griech. von der Entsteh. des ätol. und achäis. Bundes bis auf die Zerstör. Korinths*, pg. 210 sqq.) disputata sunt, non probant. inde ab anno 216 a. a. n. Achaeorum strategos in conciliis auctumnalibus esse lectos.

III.

Philopoemen legem: „ut legitimi Achaeorum conventus in urbibus foederatis invicem haberentur,” pertulit.

IV.

Reiicienda est opinio Wachsmuthii (*hellen. Alterthumsk.* I, 2 pg. 392) et Hermanni (*Lehrb. der griech. Ant.* I, § 185) putantium Buram una cum Helice maris undis esse haustam.

V.

Perperam Pausanias (VIII, 51, 3): *καὶ ὁ δῆμος αὐτίναι ὁ τῶν Μεσσηνίων προσεχώρησε τοῖς Ἀρκάσιν.*

VI.

Arist. Acharn. vs. 1093 pro:
οὐργηστρίδες, τὰ φίλταθ' Ἀρμόδιον, παλαιί,
 lege:
οὐργηστρίδες, τὰ φίλταθ' Ἀρμόδιον, οὐ παλά;

VII.

Soph. O. C. vv. 47, 48 ita legendi:
ἄλλ' οὐδὲ μέντοι σ' ἔξανιστάναι πόλεως δίχ' ἐστὶ θάρσος, πρὶν γ' ἀν εἴξω, τί δρῶ;

VIII.

Thuc. VI, 23: *ἢν γὰρ αὐτοὶ ἑλθωμεν ἐνθένδε μὴ αντίπαλον μόνον παρασπενασόμενοι, πλὴν γε πρὸς τὸ μάχιμον αὐτῶν τὸ ὄπλιτινόν, κ. τ. λ. pro τὸ ὄπλιτινόν legendum τὸ ἵππικόν.*

IX.

Soph. O. T. vs. 845:
οὐ γὰρ γένοιτ' ἀν εἰς γε τοῖς πολλοῖς ἴσος, pro εἰς γε τοῖς legendum εἰς γέ τις.

X.

Liv. XXXIV, 49, 8: „libertate modice utantur; temperatam eam salubrem et singulis et civitatibus esse, nimiam et aliis gravem et ipsis qui habeant

praecipitem et effrenatam esse," delenda sunt: *nimiam*
et alterum *esse*.

XI.

Virg. Aen. XI, 574: pro vulgato *oneravit lego armavit*.

XII.

Hor. Sat. I, 8 vs. 20: pro *perdere legendum pellere*;
ibid. vs. 49 pro *lacertis: iacere*.

XIII.

Immerito Niebuhrius statuit, Xenophontis *Ἑλληνικὰ*
constare ex duobus diversis operibus, quae postea,
invito scriptore, in unum coaluerint.

XIV.

Operis Liviani in decades divisio non ipsi Livio
tribuenda est.

XV.

Velleius Paterculus in laudando Tiberio adulandi
studio ductus fuisse non videtur.

XVI.

Auctores caedis Godefridi, Lotharingiae ducis, anno
1076 perpetratae, non in Hollandia quaerendi sunt.

XVII.

Legum XII tabularum verba: „Tertiis nundinis
partis secanto, si plus minusve secuere se fraude esto”
de corpore non de bonis debitoris accipienda sunt.

XVIII.

Sulla comitia tributa non abrogavit.

XIX.

Lex Roscia theatalis non novum honorem equitibus
tribuit.

XX.

Fragmentum Ulpiani, quod est fr. 1 Dig. de const.
princ. (l. 4.), interpolatum esse videtur.

XXI.

Quum centuriae cum tribubus Servianis coniunctae
sunt, illarum numerus auctus est.